FRATRI CARISSIMO

ALBERTO RHODE

GYMNASII BRANDENBURGENSIS CONRECTORI

FRATERNI ANIMI TESTIFICANDI CAUSA

HUNC LIBELLUM

DEDICAVIT

AUCTOR.

DE

AESCHYLI AGAMEMNONIS QUARTO EPISODIO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA UNIVERSITATE LITTERARIA VRATISLAVIENSI

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XVI. M. MART. A. CIƆIƆCCCLVIII.

HORA DECIMA

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

FEODORUS RHODE,

POSTAMPIENSIS

CONTRA ADVERSARIOS:

HERMANN PETER, SEM. PHIL. REG. SOD. ORDIN.
RUDOLPH PEIPER, SEM. PHIL. REG. SOD. ORDIN.
HERMANN POLTE, SEM. PHIL. REG. SOD. ORDIN.

VRATISLAVIAE,

TYPIS HENRICI LINDNER.

1858

οὔπω ξυνῆκα· νῦν γὰρ ἐξ αἰνιγμάτων
ἐπαργέμοισι θεσφάτοις ἀμηχανῶ·
Aesch. Agam. vs. 1071 seq.

δύκος ἐπὶ πᾶσι τέτυκται·
Xenophanes.

Ut inter Aeschyli fabulas, quae aetatem tulerunt, primum locum tenet Agamemno, id quod inter plerosque harum rerum aestimatores dudum constat, sic non modo hujus dramatis pulcherrimam partem sed etiam universae tragicae poëseos fastigium esse eam scenam, in qua Cassandra vaticinans inducitur, et veteres senserunt et recentiorum multi quorum judicium plurimi est faciendum, professi sunt. Ac de antiquis quidem hoc testatur is, qui ὑπόθεσιν conscripsit huic fabulae praemissam, his verbis: τοῦτο δὲ τὸ μέρος τοῦ δράματος θαυμάζεται, ὡς καὶ ἔκπληξιν καί οἶκτον ἱκανὸν ἐμποιεῖν[1]). E recentiorum autem dictis Schoemanni, viri insigniter de Aeschylo meriti, verba affere volo, quibus utitur in emendationibus suis Aeschyleis[2]): „Hoc episodio nihil quidquam excellentius, „nihil ad animos auditorum vel horrore vel admiratione vel mi„sericordia permovendos efficacius a quoquam ullius aut gentis „aut aetatis poeta factum est.“ Sed de hujus tragoediae praestantia hoc loco nihil amplius dicendum est; nobis enim aliud idque arduum opus aggrediendum. Nam ut fabula nostra tota

---

1) in his verbis ἱκανὸν non cum οἶκτον conjungendum esse, sed ad μέρος pertinere, recte animadv. Karstenus; itaque nihil mutandum.

2) in prooemio indici tectionum in univers. Gryphiswald. d. $185\frac{7}{8}$ habitarum praemisso, p. 7.

interpretum criticae arti permultas summasque praebet difficultates, sic ne haec quidem ejus pars de qua diximus, iis vacat; immo et multis vitiis atque corruptelis laborat, et multa habet non corrupta ea quidem, sed de quorum sensu valde dissentiant virorum doctorum sententiae. Ac praecipue in hac Cassandrae scena id non est mirum, quippe in qua consulto, saepius poeta obscure aenigmaticeque loquatur. At quo praestantius quoque magis egregie hoc episodium factum, eo magis operae pretium est, ejus difficultates quam diligentissime atque accuratissime examinare, ut quam proxime ad rectam insignis poetae intelligentiam accedatur. Huic igitur operae ego quoque non parcendum esse ratus non nulla mihi invenisse videor, quae aliquid fortasse, conferre possint vel ad vulnera nonnullorum locorum sananda vel ad sententias in clara luce ponendas. Quorum partem hoc libello complexus sum, quem viris doctis aestimandum proponere in mente est. Sed cum talium quaestionum, quales hic libellus continet, ea sit proprietas, ut ubique fere scriptor cogatur, virorum doctorum et probatae in his litteris auctoritatis sententias in judicium vocare ac nonnumquam etiam argumentis refutare, magnumque inde tironi exsistat periculum, ne arrogans ac parum modestus esse videatur, — omnes qui hoc opusculum perlegere non detrectabuut, rogo ut sibi persuadeant, me eorum virorum quorum sententiis saepius obloqui mihi necessarium erat, plerosque summa reverentia colere. —

Et hanc disputationem sic institui, ut ubique fere a Godofredi Hermanni sententia proficiscerer. Hujus enim egregii viri egregium opus semper fundamentum esse oportet omnium quae de Aeschylo proferantur. Itaque ante omnia ubique Hermanni sententiam diligenter examinare studui. Praeterea respiciendae erant inter alias praecipue novissimae Agamemnonis editiones, quae post editum Hermannianum exemplar prodierunt, Rob. Engeri, Sim. Karsteni, Fr. Guil. Schneidewini; de quibus in universum hoc tantum dicere volo, Engerianum textum mihi multo propius accedere videri ad pristinam ac genuinam formam, quam Schneidewinianum, nedum Karstenianum. Karstenus enim quanta licentia in constituendo Agamemnonis textu usus sit, primo obtutu aliquis

intelligere potest, qui quamlibet ejus editionis paginam evolvat. Sed injustissimus esset, qui hanc editionem prorsus reprehendere ac damnare vellet. Haud pauca enim Karstenus primus rectissime observavit, atque inter permultas malas et infelices et inutiles quas fecit conjecturas, nonnullae occurunt bonae vel certe aliorum interpretum inventis non minus probabiles; una vero etiam praeclara vocanda est, id quod infra demonstrabimus ad vs. 1272. Praeterea in notis quas editioni suae adjunxit, non ita raro subtiles et acutas observationes partim ad sermonis Graeci usum, partim ad Aeschyli artem spectantes invenire possis. Eo magis autem dolendum est, quod vir eruditissimus atque haud exigua subtilitate et acumine ingenii praeditus adeo inconsiderate atque immodice fere ubique egerit; ita ut e magna errorum multitudine maxima opera ea scrutanda sint, quae probari atque accipi possint, ac doctus vir Aeschylo parum profuerit, nocuerit maxime. Praeter hos vero eorum qui novissimis temporibus praeclare ut de Aeschylo omnino sic de nostra fabula interpretanda meruerint, nominandus est imprimis Schoemannus, de cujus emendationibus Schneidewinus in ejus libelli censura (in Jahn annal. phil. 1855) nonnumquam praepropere judicavit (cf. quae infra ad vs. 1203 disputabimus).

Atque initium faciam a nonnullis facilioribus locis; tum pergam ad ultimam scenae partem, vs. 1215 seqq., quam accuratius contemplari placet, quippe in qua complura adhuc mihi nondum satis examinata esse visa sint.

De vs. 995, hujus scenae secundo, idcirco dicam, ut demonstrem, Karstenum, quocum in reliquis locis tantum non omnibus dissentio, hic rectum vidisse; ita ut „suum cuique" tribuisse judicari possim.

Clytaemnestra Cassandram adhortatura ut domum ingrediatur, his verbis orationem suam incipit.

(vs. 944) εἴσω κομίζου καὶ σύ, Κασσάνδραν λέγω
ἐπεί σ'ἔθηκε Ζεὺς ἀμηνίτως δόμοις
κοινωνὸν εἶναι, χερνίβων κ. τ. λ.

Vox quae est ἀμηνίτως utrum cum ἔθηκε an cum εἶναι conjungenda sit, disceptant interpretes. Illud statuit cum aliis Blomfieldius, qui verba Ζεὺς ἀμηνίτως σ'ἔθηκε explicat: clemen-

ter, adeo ut non irascatur, conferens vs. 627[1]) λέγων χειμῶν Ἀχαιοῖς οὐκ ἀμήνιτον θεοῖς. Sed qualis esset haec sententia: „Iupiter sine ira te servam fecit!“ – Absurdum esset, si Clytaemnestra hoc contenderet, nihil enim umquam antiquis majus divinae irae documentum esse videbatur, quam servitus; quae conditio longe miserrima sors habebatur, sive clementem aliquis, sive durum herum nactus erat. Ob eandem causam conjectura a Fuhrio prolata in diar. antiq. 1841, pag. 197, ἀμήνιτος, rejicienda est. Si vero cum plerisque ἀμηνίτως ad infinitivum εἶναι referimus, ut dicatur, Cassandram ipsam sine ira esse, ne haec quidem sententia melior est. Nam Cassandram minime licenter vel sine ira jugum subire servitutis, et jam per se Clyt. suspicari potest et Cass. in hac ipsa scena toto suo habitu plane monstrat, ita ut inepte regina diceret, Iovem eam servam fecisse quae ἀμηνίτως serva esset; si enim hoc ita se haberet, Clyt. tota hac adhortatione supersedere posset. Sed arbitror, eos qui ἀμηνίτως εἶναι κοινωνόν copulanda esse statuerunt, inter quos etiam Hermannus est, hoc eodem modo accepisse quo Schneidewinus, qui sensum sic reddit; „Kassandra soll sich „willig fügen, und froh sein, in ein solches Haus gekommen zu „sein.“ At haec verba: Ζεὺς ἔθηκέ σε κοιν, εἶναι ἀμηνίτως nihil aliud significare possunt, nisi hoc: „Iupiter effecit, ut sine ira socia sis“, Iupiter te huic domo sociam non iratam tribuit,“ — id quod absurdum esse vidimus, nequaquam vero significare queunt: „Iupiter voluit ut sine ira κοιν' χερν' sis.“ Nam in verbo τιθέναι notio effectus alicujus, non consilii inest. Itaque quoquo nos vertamus, sensus rectus et aptus nulla ratione ex hoc ἀμηνίτως elici potest. Accedit, quod vox δόμοις — id quod rectissime monet Schneidewinus, — nimis nude posita videtur. Haec omnia, puto, perspiciens ingeniosissimus Auratus dudum conjecit:

ἐπεί σ' ἔθηκε Ζεὺς ἀμηνίτοις δόμοις
κοινωνὸν εἶναι χερνίβων,

quod recepit Schützius, ac Schneidewinus in appendice laudavit. Ambo sic hanc lectionem explicant: „mitibus aedibus, aedibus in quibus servi clementer tractantur.“ „Sed rectius

---

1) in citandis Aeschyli locis Hermannianae editionis numeros sequor.

Karstenus ἀμηνίτοις passivo sensu dictum esse statuit, „aedes quibus non irascaris; quibus irasci vel quas vituperare injuria esset.“ Quid sibi velit hoc epitheton, apparet e vs. 1001 seq. Hoc multo magis superbae reginae convenit, quam si diceret: venisti in domum, quae servis mitis est.

In vs. 1000: καί παῖδα γάρ τοι φασὶν 'Αλκμήνης ποτὲ
πραθέντα τλῆναι καὶ ζυγῶν θιγεῖν βίᾳ

verba καὶ ζυγῶν θιγεῖν βίᾳ ineptissimam esse Triclinii interpolationem nunc ab omnibus fere concessum est. V. Kirchhoff in Philol. IX., pag. 162. Lectionem Florentini cod. πρ. τλῆναι δουλίας μάζης βία emendavit Blomfieldius, qui scripsit βίον. Hanc scripturam acceperunt et alii, et Schneidewinus. Num igitur credamus, Aeschylum scripsisse δουλίας μάζης βίον? Minime; etenim μᾶζα certe vocabulum est vilioris et ignobilioris generis, quam quod antiquae tragoediae conveniat, cujus casta σεμνότης atque gravitas tales voces respuit. Neve quis contra dicat, nonnumquam etiam hujusmodi dicta et apud alios tragicos et apud Aeschylum inveniri, sicut notum illud λειψουρία, Choeph. vs. 743; talia enim fiunt, si homines humiliores loquuntur et oratio aliquid comici coloris habet. Hoc vero loco loquitur Clytaemnestra, superba regina, cujus orationes omnes cum elatiorem sumant spiritum Aeschylus certe tali vocabulo utentem non fecit, quale hoc μάζης est. Hoc rectissime vidit Hermannus, qui illam lectionem sprevit. Engerus sic edidit: δουλίας τροφῆς τυχεῖν, conferens Soph. Ai. vs. 499. νόμιζε κἀμὲ . . . σὺν παιδὶ τῷ σῷ δουλίαν ἕξειν τροφήν; sed hoc prorsus ad arbitrium fecit, nam pro βίον in qua voce nulla est offensio, scribere: τυχεῖν, nullam habet rationem. Sed hoc, τροφῆς pro μάζης, minime videtur negligendum esse. Habet enim haud parvam probabilitatem, Aeschylum scripsisse . . . . . τλῆναι δουλίας τροφῆς βίον. Facile fieri potuit, ut aliquis doctus lector, non ignorans, servorum cibum e pane hordeaceo constitisse, sapientiam suam in margine poneret, adscribens ad δουλίας τροφῆς vocabulum μάζης, quod deinde in textum irrepsit. (Aliud quoddam glossematis exemplum v. vs. 1347. cf. Enger. observ. p. 13).

vs. 1006. σοί τοι λέγουσα παύεται σαφῆ λόγον. Karstenus conjecit λέγουσ' ἐπαπύει σ. λ., „nam illud παύεται non habere sensum, cum Clytaemnestra etiam nunc remaneat; quamquam vel sic

fuisse frigidum." Sed bene in textu traditam et ab omnibus servatam lectionem retinuit. Nihil enim mutandum; sensus est; „tibi σαφῆ λόγον dicere desiit, ita ut jam tuum sit, facere ea quae jussa es." Cum enim reginae jussa simul atque edicta sunt, statim exsequi servam oporteat, in hac voce παύεται monitus inest, ut Cass. extemplo currum relinquat seque in aedes conferat. Itaque tradita lectio optima est. Mox sequitur versus difficillimus, 1011, de quo variae sunt interpretum sententiae.

Clytaemnestra sic pergit (vs. 1009):

ἀλλ' εἴπερ ἐστὶ μὴ χελιδόνος δίκην
ἀγνῶτα φωνὴν βάρβαρον κεκτημένη
ἔσω φρενῶν λέγουσα πείθω νιν λόγῳ.

Plerique post vocem quae est κεκτημένη virgula posita verba sic jungunt: ἔσω φρενῶν λέγουσα, idque ad Clytaemnestram referunt, explicantes: „dicens ita ut Cassandra intelligat ac mente percipiat verba mea, h. e. ita ut verba mea non solum ad aures, sed etiam in mentem ejus perveniant." Cf. quae adnotant Blomfieldius ac Schneidewinus. Quam interpretationem summo cum jure rejecit Schoemannus; jam enim Klausenus hoc recte monuit, ἔσω φρενῶν semper de ejus mente dici qui id agat quod verbum indicet, ut si dicatur ἔσω φρενῶν λέγειν vel γράφειν vel aliud quid facere, ejus ipsius qui λέγει vel γράφει, φρένες intelligendae sint. Ex quo apparet, ἔσω φρενῶν λέγω hoc tantum significare posse: „intus in animo meo loquor, neque verba eloquor." Longe aliter se habent exempla quae affert Schneidewinus. Tantum igitur abest, ut ἔσω φρενῶν λέγουσα sit: σαφῆ λόγον λέγουσα, ut prorsus contrariam habeat significationem, nam qui ἔσω φρενῶν λέγει, prorsus tacet. Recte hoc intellexit Butlerus, qui videns, ad Clytaemnestram haec verba minime posse referri, ad Cassandram rettulit, post λέγουσα interpungens, ita ut ἔσω φρ. λέγ. cum participio κεκτημένη conjungantur; „secum intus colloquens." Sed ne sic quidem oratio melior fieret, propter ambiguitatem eo ortam, quod versus facile aliquem pellicere potest, ut verba cum πείθω jungat. Accedit, quod ne sensus quidem aptus inde nasceretur. Nam cum Cassandra non loqui jussa sit, sed de curru descendere, hoc, quod tacet, nihil ad rem facit; neque ex eo, quod tacet, sequi-

tur, eam non esse obtemperaturam jusso Clytaemnestrae. Sic verba ἔσω φρενῶν λέγουσα nullum aptum sensum praebent, quoquo referuntur. Itaque nounulli ea dirimunt et ἔσω φρενῶν ad vocem κἀκ τῃ μένῃ trahentes conjungunt λέγουσα πείθω νιν λόγῳ, quae inter alios Schützii, Stanleji, Karsteni sententia est; Karst. confert Iliad. β, ὅς ῥ'ἔπεα φρεσὶν ᾗσιν ἄκοσμά τε πολλά τε ᾔδη, et adnotat.: „ἔσω φρενῶν per pleonasmum additum, quale quid convenit irato." Sed in his λέγουσα πείθω νιν λόγῳ non modo participii λέγουσα collocatio offensioni est, sed etiam junctura λέγουσα λόγῳ, de qua recte judicasse videtur Schneidewinus in Jahn. ann. l. l. p. 289 „Reisst man ἔσω φρενῶν von λέγουσα los, so steht dieses zu nackt und kahl, denn was sollte λέγουσα λόγῳ? Allerdings liegt in Clytämnestras Worten der vom Dichter beabsichtigte Doppelsinn, so dass der Chor λέγουσα λόγῳ verbinden konnte, Clyt. selbst aber kann nicht daran denken, λ. λ. zu verbinden."

Accedit molestus quintus pes, qui valde ingratus in aures cadit. v. Enger. in Jahn. ann. tom. 70, pag. 380. Has ob causas etiam ingeniosa Schoemanni conjectura non videtur admittenda esse, qui scribit (in emendatt. p. 8); εἰ σωφρόνεῖ, λέγουσα π. νιν λ. Attamen rectissime egregius vir perspexit, talem sententiam requiri, qualem conjectura sua restituit, neque eius rationes a Schneidewino tam leviter rejici debebant. Haec enim adnotat Schoemannus: „hoc loco non satis est, intelligere. Cassandram quae Clytaemnestra dicat, nisi etiam recte sapiat, ut id, quod intellexerit illam dicere, etiam faciendum sibi statuat neque contumaciter respuat." — Haec tam recte exposita sunt, ut contra disputari nequeat. Sed si cum Schoemanno scriberetur: εἰ σωφρονεῖ, λ. π. ν. λ., remanerent illae offensiones; itaque aliud quoddam quaerendum est, quod et eandem sententiam praebeat quam necessariam hoc loco esse demonstravit Schoemannus, et illas simul offensiones tollat quas supra exposuimus. Mihi in mentem venit, Aeschylum fortasse scripsisse:

ἔσω φρενῶν λαχοῦσα πείθεται λόγῳ.

h. e. „si in animo suo sapientiam nacta est, verbis meis paret." Apparet, hanc sententiam prorsus eandem esse quam habet Schoemanniana lectio; nam φρενῶν λαχοῦσα ἔσω idem est quod εἰ σωφρονεῖ. Conf. Agam vs. 364. εὖ πραπίδων λαχόντα. — At for-

tasse mea conjectura audax quam maxime esse videbitur. Sed unde vulgata lectio profecta sit ex illa facile demonstrari potest. Voce enim quae est λαχοῦσα in λέγουσα corrupta, criticus aliquis hoc λέγουσα ad Clytaemn. referens intellexit, tum πείθεται falsum esse, pro quo in promptu erat πείθω νιν scribere, ut Clytaemnestra subjectum esset sententiae. — Explicandum vero est, quae vis insit in verbis πείθεται λόγῳ. Vox quae est λόγῳ consulto et cum pondere quodam in versus fine posita est; „si sapiat, verbis meis paret, neque exspectabit, donec vi cogatur.“ Praesentis vero indicativum non opus est cum Engero mutare vel in praesentis optativum vel in futuri indicativum; nam praesentis indicativo res ut prorsus certa significatur. Ceterum si in mea conjectura aliquid non reprehendendum videbitur viris doctis, Schoemannianae conjecturae hoc debebo, quae nisi antecessisset, vix, credo, illam invenissem.

Pauca etiam de vs. 1012 dicenda sunt, ubi scriptum est:

ἕπου. τὰ λῷστα τῶν παρεστώτων λέγει.

Wieselerus in notit. literar. Gotting. 1854, pag. 100 pro λέγει scribit λέγειν, „um das, was unter den gegenwärtigen Umständen das Beste ist, zu sagen.“ Karstenus quoque in verbo λέγει offendit, pro qua forma posuit λέγω „nam imperiosam reginam suadere τὰ λῷστα τῶν παρεστώτων ne ipsi quidem Choro probabile videri poterat; sed de suis hoc dicit monitis, quibus captivae amice consiliatur ut necessitati cedat. Quo plus igitur ponderis verbis suis addat, adjicit hocce: „optima quae sunt tibi suadeo.“ — Sed librorum lectio non est tangenda. Respicit Chorus ad Clytaemnestrae verba vs. 1005, ubi regina haud duram Cassandrae sortem futuram esse promisit, sed qualis secundum hominum morem atque usum ei conveniret. Haec sunt certe τὰ λῷστα τῶν παρεστώτων. Propterea Chorus Cassandram jubet ἕπεσθαι, parere, neque contumaciam prae se ferre.

In vss. 1005—16.

τὰ μὲν γὰρ ἑστίας μεσομφάλου
ἕστηκεν ἤδη μῆλα πρὸς σφαγὰς πυρός,

duo sunt, in quibus haerebant interpretes. Quaerendum est primum quo referendus sit genitivus ἑστίας μεσομφάλου, tum quomodo verba πρὸς σφαγὰς πυρὸς explicanda sint. Genitivum

illum plerique Bernhardyum sequentes (v. in synt. p. 137), ut Klausenus, Franzius, al., nuper etiam Schneidewinus, locum designare statuerunt, „a cujus regione alter locus determinetur," ut μῆλα ἕστηκεν ἑστίας sit: „stationem acceperunt a regione arae, h. e. stant circa aram et ad eam pertinent." Comparant ad hunc Genitivi usum fulciendum Il. ι, 219. τοίχου τοῦ ἑτέροιο ἷζεν, h. e. ad alterum parietem, et Soph. Oed. R. 808 ὄχου παραστείχοντα. Sed exempla ex Homero petita ad tragicorum sermonis usum constituendum in talibus rebus nihil valent, et Sophocleus ille locus an non recte se habeat, valde potest dubitari. Exempla vero Krügerianae grammaticae ad cujus tom. II., §. 46, 1, adnot. 3. Schneidewinus relegat, aliter se habent omnia. Sed quam ob causam interpretes id quod simplicissimum est ultroque se offert haec legenti vel audienti, spreverint, non intelligo. Cur enim genitivum ἑστίας non conjunxerunt cum voce quae est μῆλα? Sic construxerunt C. G. Hauptius („penetralis sacrificii victimae") et Peilius („the victims of, i. e. devoted to, the central Hearth"). Oves quae foco destinatae sunt, ut in eo immolarentur, non ita magna audacia vel insolentia μῆλα ἑστίας appellari existimo; certe hoc minus audax est, quam illa junctura: ἕστηκεν ἑστίας. Non vero cum C. Fr. Hermanno (antiq. Graec. sacr. §. 15, adnot. 1). Ἑστίας scribam, ut nomen proprium Deae sit; nam sacrificium de quo sermo est, non Vestae, sed, ut par erat, Jovi ἑρκείῳ et θεοῖς ἐγχωρίοις offerebatur (cf. vs. 819 θεοῖσι πρῶτα δεξιώσομαι, οἵπερ πρόσω πέμψαντες ἤγαγον πάλιν).

Restat, ut dicatur, de verbis πρὸς σφαγὰς πυρός, in quibus corruptelam inesse nunc omnes concedunt. Editorum novissimorum duo, Engerus et Karstenus, cum plerisque aliis receperunt lenissimam Musgravii conjecturam, pro πυρὸς scribentis πάρος, quod ad genitivum ἑστίας μεσομφάλου referri volunt.

At primum non opus est, hic aliquid ponere unde ille genitivus pendeat, quem apte cum voce μῆλα conjungi posse modo statuimus; tum vero talis verborum collocatio (τὰ μὲν γ. ἑστίας μεσ. ἕστ. ἤδη μ. πρ. σφ. πάρος) admitti nequit. Comparat Engerus locum Agam vs. 1227 Herm., ἐποπτεύσας δέ με

κἀν τοῖσδε κόσμοις καταγελωμένην μέγα
φίλων ὑπ' ἐχθρῶν οὐ διχορρόπως, μάτην,

in quibus ἐποπτεύσας μάτην conjungendum est [1]). Sed si talimodo verba quaedam arcte inter se cohaerentia dirimuntur, hoc eo tantum consilio fieri potest, ut magnum pondus cadat in eam vocem quae in fine sententiae ponatur; sicut in illo nostrae fabulae loco in voce μάτην summum sententiae pondus inest, et sic in aliis locis fit, ubi talia inveniuntur [2]).

Itaque apparet, credo, quando et quam ob causam tragici nonnumquam tales sibi licentias permiserint in collocandis vocabulis. Sed si plane nulla ratio adest, haud facile tam licenter verba posuere; neque igitur Aeschylus hoc fecit, quippe qui ut Homerus „nil inepte molitus est.“ Itaque nostro loco, ubi in illud πάρος ne minimum quidem ponderis vel accentus caderet in pronuntiando, admodum langueret hoc vocabulum tam longe diremtum a nomine suo et in fine sententiae positum; essetque perversi poetae, aliquam vocem collocatione tanto opere extollere, quae ad sententiam prorsus nullius momenti esset.

Idem argumentum valet de Thierschii conjectura (in actis acad. Monac. 1852, tom. VI., p. 410 prolata:) πρὸς σφαγὰς πέλας, quod item ad genit. ἑστίας referendum esset. Alii vero σφαγὰς mutantes πυρὸς intactum reliquere. Quod non videntur recte instituisse; nam vox, quae est σφαγὰς, ad sententiam necessaria est, quia hoc vocabulo mutato illa verborum consulta ambiguitas tollitur, quae in Clytaemnestrae orationibus apud nostrum tam saepe detegi potest. Clyt. enim hoc loco de ovibus loquens, quae jam ad aram stent ut mactentur, intimo in animo de Agamemnone cogitat, qui ejus quasi hostia est. Hunc tectum sensum in his verbis latentem animadvertit Thierschius l. l. p. 410. Idem de proximo quoque versu valet:

ὡς οὔποτ' ἐλπίσασι τήνδ' ἕξειν χάριν

in quibus Clyt. τήνδε χάριν a Choro quidem sic vult intelligi: Agamemnonem feliciter reversurum esse ac pro reditu ejus diis propitiis nos posse immolare; — sed ipsa in corde suo hoc

---

1) v. infra pag. ~~36~~ 24

2) Exempli causa v. Soph. Phil. 136, ubi secundum Boeckhii emendationem legitur: λιμῷ τ' οἰκτρός, ἀνήκεστα μεριμνήματ' ἔχων, βαρεῖ, ubi λιμῷ βαρεῖ conjungendum.

sentit: Agamemnonis necandi aliquando nobis facultatem datum iri? Iam apparet, vocem σφαγὰς non esse mutandam, sed latere corruptelam in voce πυρός. Accedit, quod in fine versus aliquod vocabulum magis depravationi expositum est, quam in medio versu. Equidem igitur conjeci: τὰ μὲν γὰρ ἑστίας μεσομφάλου

ἕστηκεν ἤδη μῆλα πρὸς σφαγὰς πάλαι,

quod vocabulum aptissimum est ad denotandum, Clytaemnestrae summo opere festinandum esse ac tempus urgere. Sed cum incertissimum hoc sit, hanc conjecturam proferre vix ausus sum. Totius vero loci sensus secundum meam interpretationem hic est: „non habeo otium, ante portas apud istam commorari; nam hostiae, in ara in interioribus aedibus posita immolandae, jamdudum ad caedem paratae stant."

In commatica hujus scenae parte pauca sunt, de quibus novi aliquid, proferre possim. vs. 1062. ἀλκά δ'ἑκὰς ἀποστατεῖ. Neque de Oresta cogitandum est cum Scholiasta, Schützio, Hermanno, Engero, aliis, neque de Menelao cum Klauseno, Schneidewino, al., sed generaliter hoc dictum est. Neque ullam video causam, cur de uno singulari quodam homine cogitemus. Cassandra cum dicit: „auxilium procul abest", hoc non est: Orestes vel Menelaus abest, sed omnino omnes qui opem ferre possint.

vs. 1073 seqq. Cassandrae verba haec leguntur:

ἒ ἔ, παπαῖ παπαῖ, τί τόδε φαίνεται;
ἦ δίκτυόν τι Ἅιδου;
ἀλλ' ἄρκυς ἡ ξύνευνος, ἡ ξυναιτία
φόνου· στάσις κ· τ· λ·

Injuria Wieselerus in annal. Gotting. 1854, pag. 101 pro ἀλλ' ἄρκυς scribit: ἁλουργές, Karstenus: ἀλλ' ἀνδρός· Traditan lectionem recte explicavit Schneidewinus. Engerus vero scr.: ἀλλ· ἄρκ· ἡ ξύν. κ· τ· λ· pro ἡ ξύνευνος, ut praepositio in voce quae est ξυναιτία, suam vim habeat. Ita Clytaemnestra retis consocia appellaretur. In hunc modum jam Klausenus haec verba interpretatus est, „socia in paranda caede. Addit poeta, eadem „ratione qua tunica retis nomine, cassis nomine designari posse „uxorem, quae Orcini retis est socia, quae idem agit, quod „tunica illa, ut Orco tradatur maritus." — Sed Clytaemnestra,

quae conjugem superjectae vestis auxilio trucidet, male mihi consocia hujus vestis appellari videtur. Quis enim, quaeso, hominem, qui alterum gladio interficit, socium gladii appellaret? Ipsa Clytaemnestra cassis est; cf. Choeph. 971 seqq., quem l. interpretes apte comparant; a vatis enim inflammatae concitata mente trucidator et instrumentum, quo ille utitur, in unum confunduntur, id quod efficacissimum est ad depingendam τὴν ἐνάργειαν hujus visionis. Sed quid sibi velit hoc: ἡ ξυναιτία φόνου, nunc videndum. Cuinam socia caedis est Clytaemnestra? nonne haec sola facinus atrox perpetrat? Apud Aeschylum certe, ita ut quam maxime absurdum esset, interpretari: Aegisthi consocia. Itaque praepositionis hujus vis non est urgenda; orta esse videtur e quadam rhetorica symmetria; nam cum praecedat ἡ ξύνευνος, poeta paris soni causa etiam „ἡ ξυναιτία" dicit (cf. Schneidewini annot.). Attamen hoc mirum est, nam similia exempla quae afferri possint, paullo alius generis sunt, ut Soph. Ai. 1317: εἰ μὴ συνάψων, ἀλλὰ συλλύσων πάρει· et Soph. Antig. 523: οὔτοι συνέχθειν, ἀλλὰ συμφιλεῖν ἔφυν· Sed nostro loco accedit aliud, quo mirum illud ξυναιτία defendi potest; nam quod de voce quae est μεταίτιος valet in qua saepius praepositionis vis prorsus evanuit, ita ut sit idem quod simplex αἴτιος, cur non idem statui possit etiam de cognato vocabulo συναίτιος? quamquam nullum hujus usus aliud exstet exemplum. De μεταίτιος v. Herm. ad Agam. vs. 778[1]), qui affert loc. e Soph. Trach. vs. 1234 ἥ μοι μὴ τρίμὲν θανεῖν μόνη μεταίτιος. Alius locus exstat in iisdem Trach. vs. 260: τόνδε γὰρ μεταίτιον μόνον βροτῶν ἔφασκε τοῦδ' εἶναι πάθους. Eodem modo μεταίτιος dictum in Platonis rep. X., pag. 615 B.: οἷον εἴ τινες πολλῶν θανάτων ἦσαν αἴτιοι, ... ἤ τινος ἄλλης κακουχίας μεταίτιοι, ubi μεταίτιοι plane idem est ac simplex αἴτιοι·

In ultima hujus scenae parte primum dicendum est de vers. 1153 seqq.

ἥμαρτον, ἢ θηρῶ τι τοξότης τις ὥς;
ἢ ψευδόμαντίς εἰμι, θυροκόπος φλέδων;
ἐκμαρτύρησον προὐμόσας τό μ' εἰδέναι
λόγῳ παλαιὰς τῶνδ' ἁμαρτίας δόμων·

---

1) Sed in hoc Agam. loco μεταίτιος aliter explicandum est, v. Schneidewini annot.

Hermannus haec adnotat: „apertum est, aut deesse negationem aut ineptum esse λόγῳ. Scribendum vero erat, ut Dobraeus quoque vidit[1], τὸ μὴ εἰδέναι λόγῳ," quod est, „non ut qui ex aliis acceperunt, parum, sed ut qui ipsi viderunt, accurate scire"[2])

Tum Hermannus hanc vocis λόγῳ significationem optimis exemplis confirmat, quibus demonstrat, hoc esse nostrum „vom Hörensagen." In his verbis τὸ μὴ εἰδέναι λόγῳ, item offenderunt inter alios Bambergerus, Schneidewinus, qui censet, vulgatam rectam fuisse futuram, si λόγῳ deesset; Cassandram enim illas res non fando scire, sed per divinationem. At permirum est, hos interpretes non perspexisse intimam loci sententiam; in hac enim Cassandrae adhortatione acerbissima inest ironia; nam cum Chorum jurare jubeat, ipsam antiqua domus generisque Tantalidarum scelera tantum ab aliis fama audisse, ergo obiter et incerta scire, — certe non re vera vult Chorum hoc testificari — esset enim summae ineptiae, — sed confidenter Chorum provocat ut hoc jusjurandum det, siquidem possit, „Age, dicit, testificare, si potes, me ea quae de antiquis hujus generis sceleribus dixi, fama tantum, neque vero arte mea scire," Sic credo extra dubitationem positum esse, recta esse haec verba: τὸ μ' εἰδέναι λόγῳ παλαιὰς τ' ά. δ: Cassandra acerbissima hic utitur ironia qualis congruens est cum ea animi affectione, qua vates nunc movetur. „Omnes me risui semper habuerunt; nonne etiam tu me esse fallacem ac mendacem contendere vis?" — Si vero cum Hermanno aliisque negationem poneremus (τὸ μὴ εἰδέναι λόγῳ), primum orationis vim valde debilitaremus, tum vero ne grammaticae quidem sufficeremus; nam pronomen μέ deesse non debet. Neque multo melius est quod Schillerus[3]) proposuit ac Schneidewinus recepit τό μ' εἰδέναι τορῶς π' τ' ά' δ' —

Alterum, quod plerique interpretum non recte animadver-

1) sic jam Bothius voluit.

2) In quibus jam hoc falsum est, quod verba τὸ μὴ εἰδέναι, e linguae Graecae legibus necessario ad ipsum Chorum, non ad Cassandram referenda essent, cum sententia contrarium postularet.

3) in censura editionis Hermannianae, in notit. liter. Monac. 1853.

terunt, hoc est, non haec jungenda esse: ἐκμαρτύρησον τό μ' εἰδέναι, participio προὐμόσας quasi parenthetice injecto ita, ut de προυμοσίᾳ quae dicitur, esset cogitandum. Sic fere omnes construunt. Sed hac ratione hi versus ab antecedentibus male avellerentur quibuscum nulla particula conjuncti sunt. Itaque in vs. 1155 post ἐκμαρτύρησον comma ponendum est, et subaudiendum ταῦτα; spectat enim hic imperativus ad ea quae in antecedentibus Cassandra de Choro quaesiverat, num putaret ipsam esse ψευδόμαντιν, θυροκόπον, φλέδονα· Itaque ἐκμαρτύρησον interpretandum est: „testare, sodes, me esse falsam prophetham, circulatricem." Verba igitur haec, τό μ' εἰδέναι, a solo participio προὐμόσας pendent. Hoc modo si locum intelligas, apparebit etiam, praepositionem πρό, quae est in partic. προὐμόσας, neque hoc significare: „antequam tibi plura dico" (ut volunt Klausenus et Schneidewinus, in philol. tom. IX, pag. 158), neque hoc: „antequam eveniant vaticina mea" (id quod Hermannus statuit), sed: „antequam testeris, me esse ψευδόμαντιν", — id quod nunc jam per se patet. Praepositionis vero, quae est ἐκ, non est urgenda vis, sed ἐκμαρτύρησον idem fere valet ac simplex μαρτύρησον. Non enim cum Hermanno hoc sic accipiendum est, quasi sit: „de absente, h. e. cum mortua ero, testare"[1]); nam hanc Chori asseverationem Cassandra statim audire vult, et hoc ipsum testimonium excipit Cassandrae adhortationem, vs. 1157 — θαυμάζω δέ σου, πόντου πέραν τραφεῖσαν ἀλλόθρουν πόλιν (?) κυρεῖν λέγουσαν, ὥσπερ εἰ παρεστάτεις. Aliter se habet testimonium, quod Cassandra vs. 1276 a Choro petit; de quo infra quid censeam exponere in animo est. — Sententia igitur totius loci haec est; „testare, me esse ψευδόμαντιν, θυροκόπον, φλέδονα[2]) sed antea, siquidem ab animo tuo ac religione id impetrare potes, jura, me pristina scelera in hac domo et genere commissa non divinando scire, sed auditu tantum comperta habere. Sin autem jusjurandum salva fide ac religione, γενναίως, dare nequis, tunc sane oportet, te omnibus meis vaticiniis fidem habere neque putare,

---

1) de hoc vocabuli ἐκμαρτυρεῖν usu cf. Schoemann, antiquit. Graec. p. 488.

2) his enim conviciis Cassandrae olim maledictum fuisse verisimile fit ex hoc loco.

me falsa dicere." — Sic omnia et justa vituperatione vacua et pulcherrima esse apparet. Editorum novissimorum unus Engerus recte hos versus intactos reliquit; aliorum varias de his duobus versibus sententias examinando nunc arbitror nos posse supersedere. Tradita enim lectione explicata ac defensa omnes conjecturae jam refutatae ceciderunt. Hoc autem loco ne Schoemannus quidem felix fuit, qui (pag. 10) proposuit: ἐκμ' προὐμοσάσῃ μὴ εἰδέναι. — Sed quomodo ad haec verba responsio Chori quadraret: καὶ πῶς ἂν ὅρκος . . . παιώνιον γένοιτο —?, quae verba aperte demonstrant, in antecedentibus non Cassandram aliquod jusjurandum dedisse, sed Chorum a Cass. esse provocatum ut jusjurandum daret; quod his verbis καὶ πῶς cet. recusat.

Karstenus sic edidit; ἐκμαρτύρησον ἀπομόσας τὸ μὴ εἰδέναι (cf. comment. p. 264) „infitiare sodes jurejurando, innotuisse tibi fama pristina hujus domus scelera;" — quasi hic non de fide Cassandrae vaticiniis habenda, vatisque praeteritarum rerum scientia sermo esset, sed de Chori scientia illorum malorum! —

vs. 1202. καὶ φόβος μ' ἔχει
κλύοντ' ἀληθῶς οὐδὲν ἐξῃκασμένα·

Quin haec Chori verba corrupta sint, jam nemo dubitat. Schützii aliorumque interpretationes verbis non respondere demonstravit Schoemannus p. 5, ipse conjiciens:

κλύοντ' ἀληθῶς οὖσιν ἐξῃκασμένα·

„ἀληθῶς ὄντα sunt res vere gestae vaticinia autem rebus vere gestis congrua easque ut gestae erant, sic referentia, recte „dicuntur ἀληθῶς οὖσιν ἐξῃκασμένα, quemadmodum ἐτύμοισιν „ὁμοῖα ab Homero[1]) et Hesiodo dicta sunt, quae veritatem „rerum imitantur." — „ἐξεικάζειν semper est i. q. ἐξομοιοῦν, assi- „milare, simile facere, ἐξῃκασμένος i. q. ὁμοῖος, quemadmodum „ab Aeschylo Sept. ctr. Theb. vs. 426 fulmen Iovis dicitur ἐξῃκασμένον μεσημβρινοῖσι θάλπεσιν τοῖς ἡλίου, i. e. haudquaquam simile."[2]) — Contra quae frustra disputavit Schneidewinus

1) Hom. Od 19, 203: ἴσκε ψεύδεα πολλὰ λέγων ἐτύμοισιν ὁμοῖα·

2) In his, ἀληθῶς οὖσιν, praesentis, ut saepe, vim praeteriti habet. Cf. Agam. 159 οὐδὲ λέξεται (??) πρὶν ὤν· Hesiod. oper. et dies v. 291.

p. 287, qui illa ψεύδεα ἐτύμοισιν ὁμοῖα dicit mendacia esse tam callide efficta et excogitata, ut vera esse videantur; unde mire concludit, nostro loco Chorum dicentem, se audire οὐδὲν ἐξῃκασμένα, fateri, Cassandram non verum dixisse, sed narrationem suam falsam scienter sic instituisse, quasi illae res re vera essent factae. — Fefellit Schneidewinum Homerici illius versus comparatio, qui eum in fraudem induxit, quasi omnes res atque sermones, qui alicui rei ὅμοιοι essent, huic rei non per se similes, sed arte demum vel callida fraude assimilati essent. Sane ψεύδεα ἐτύμοισιν ὁμοῖα ea sunt, quae veritati non respondent sed eam callide imitantur; at notio fallendi vel imitandi minime in his ipsis inest vocabulis, ὁμοῖος vel ἐξῃκασμένος. ἐτύμοισιν ὁμοῖα vel ἐτύμοισιν ἐξῃκασμένα simpliciter sunt „veris similia;" hoc perinde dici potest et de veris et de falsis sermonibus; veri sermones per se veris similes sunt, falsi vero nonnisi per fraudem, cum veritatem callide imitantur, ejusque speciem induunt. Sed nequaquam inde sequitur, omnia, quae ἐτύμοισιν ὁμοῖα appellentur, falsa esse necessario. Itaque quod Schneidewinus ipse conjecit:

κλύοντ' ἀληθῆ κοὐδὲν ἐξῃκασμένα,

hoc tantum significaret: „vera, quae veris non similia reddita sunt vel vera veris non similia" (nam ex accusativo ἀληθῆ ad vocem, quae est ἐξῃκασμένα dativum ἀληθέσιν subaudiendum esse per se apparet); — quod Aeschylum dixisse nemo contendet; sententia enim illa nihili est. Mirum vero etiam hoc argumentum est, quo utens Schneidewinus contendit, verba οὐδὲν ἐξῃκασμένα jam ideo non esse mutanda, quoniam in Sept. ctr. Theb. vs. 426 legatur: οὐδὲν ἐξῃκασμένον μεσ. θ. τ. ἡ.

R. Engerus sic edidit: κλύοντ' ἀληθῶς σου τάδ' ἐξῃκασμένα. Bambergerus: κλ. ἀλ. οὐ παρεξῃκασμένα, in quibus lectionibus dativus desideratur, quem verbum ἐξεικάζειν necessario postulat. Ahrensius, quem Karstenus sequitur, hoc vult:

κλύοντα μύθοις οὐδὲν ἐξῃκασμένα,

unde sententia evadit rectissima verbumque ἐξῃκ. dativum accepit; ita ut dubius haeream, utrum Schoemanniana an haec lectio praeferenda sit, ac neutram alteri postponere audeam; utraque enim sententia pariter atque externa probabilitate commendatur. — Ceterum commemorandum est, Graecos amare

quodammodo talem periphrasin per adjectivum ὅμοιος factam; sic Plato in rep. p. 499 C.: „εὐχαῖς ὅμοια λέγειν" pro eo, quod p. 540 D per εὐχὰς εἰρηκέναι significat. Itaque οὖσιν ἐξηκ. idem fere, quod ὄντα valet.

vs. 1215 seqq. Haec Cassandrae oratio, quae a versu 1215 incipit, praestantissima totius scenae pars, pluribus vitiis deformata erat, quae magnam partem praecipue praeclaris aliquot inventis Hermanni sanata sunt; sicut vs. 1215 qui in libris sic traditus est:

παπαῖ οἷον τὸ πῦρ ἐπέρχεται δέ μοι,

in quibus verbis particula δέ plane monstrat, post πῦρ colon esse ponendum, id quod primus, ni fallor, Blomfieldius fecit. Sed hac interpunctione versus nondum prorsus restitutus est; Hermannus sic scribit: παπαῖ, τόδ' οἷον πῦρ· ἐπέρχεται δέ μοι, quod hunc in modum explicavit: „quasi ignem cernere sibi videtur Cassandra, eumque adversus se accedentem: intelligit autem perniciem sibi a Clytaemnestra appropinquantem." — Haec improbaverunt quidem Wieselerus in notit. liter. Gotting. 1854, p. 103, et Schneidewinus in editione p. 236, sed omnibus accurate perpensis non possum non astipulari Hermanno. Sententiam hujus versus Schneidewinus ac Wieselerus eandem esse volunt, ac versus 1174

ὑπ' αὖ με δεινὸς ὀρθομαντείας πόνος
στροβεῖ, ταράσσων κ. τ. λ.

Cassandram enim denuo vehementi impetu ad vaticinandum stimulari. Sic plerique interpretum hoc acceperunt, e. g. Klausenus, qui adnotavit: „vae, quantum incendium imminet; πῦρ de „concitato animo, de fervore animi (coll. Soph. El. 8); denuo jam „furore corripitur vates." — Sed quantopere mirum esset, si ille ὀρθομαντείας πόνος vati appareret sub ignis cujusdam imagine, qui ei appropinquaret alicunde extrinsecus eamque arripere minaretur. Quaero, quomodo fieri possit, ut ipsa divinandi inflammatio vati tamquam incerta quaedam ignis species obviam feratur, cum jam hanc cernens summa inflammatione correpta sit. Ac mira sane cogitatio esset, qualis Aeschylo numquam in mentem venire potuit, vati quae interno fervore ac flamma moveatur, hanc flammam, i. e. divinandi impetum, extra ipsam quasi speciem oculis oblatam apparere,

ita ut suam ipsius animi inflammationem sibi cernere videretur. Hoc paene absurdum esse judicandum est. Itaque poetam his verbis, πῦρ ἐπέρχεταί μοι, eandem sententiam, quam continet vs. 1174, exprimere non potuisse apparere puto. Rectissime autem animadvertit Hermannus, illud πῦρ quod Cassandram arripere minetur, perniciem esse quam ei Clytaemnestra paratura sit. Quod vero Schneidewinus dicit ad hoc refutandum, nihili est; contendit enim, hanc sententiam iam ideo rei non convenire, quod nulla res earum quae circum Cassandram sint, miram imaginem ignis ad eam accedentis provocet, et quod non ipsi pernicies obviam feratur, sed ipsa ad Clytaemnestram introeat. — Sed vati ipsius necis suae momentum quasi praesens ante mentem versatur, quo jam in domo futura sit et Clyt. ei necem paratura appropinquet. Atque ignis per se aptissima imago est, sub qua perniciee vati se possit praebere; igni enim nihil magis exitiosum vel magis delendi vi praeditum est. Talis igitur imago nequaquam necesse est ulla alia re provocetur vel ab iis rebus quae in proximo et circum ipsam vatem sint, petatur. Immo Cass. vaticinans quasi non sit hoc loco ubi stat, loquitur, sed eo ipso loco ubi eventura sunt ea quae praedicit; id quod propheticae orationi maxime convenit. Itaque Wieselerus quoque l. c. Hermanni explicationem ut e longinquo arcessitam reprehendens, perperam judicavit.

Sed cum de versus sententia et de ignis illius significatione satis sit dictum, ipsa verba consideranda sunt. Plerique versum sic ediderunt: παπαῖ· οἷον τὸ πῦρ ἐπέρχεται δέ μοι, inter quos etiam Schneidewinus. Sed Hermannus talem versum ut elumbem ab Aeschylo abjudicans rectissime scripsit:

παπαῖ· τόδ' οἷον πῦρ· ἐπ. δ. μ.

quam emendationem, quamvis non ita facilis sit, equidem amplectendam esse propter ea censeo, quod pronomine demonstrativo vix careri potest. Male enim τὸ πῦρ diceret Cass., cum adhuc ignem nondum viderit; omnes vero quas habuit visiones, pronomine ὅδε utens monstravit; cf. vs. 1054 seq. μαρτυρίοισι γὰρ τοῖσδ' ἐπιπείθομαι· κλαιόμενα τάδε βρέφη cet.; vs. 1060 τί τόδε νέον ἄχος μέγα; vs. 1066 ἰὼ τάλαινα, τόδε γὰρ τελεῖς; vs. 1073 τί τόδε φαίνεται; 1176 ὁρᾶτε τούσδε τοὺς δόμοις ἐφημένους; 1217 αὕτη δίπους λέαινα ... κτενεῖ με·

Quod Wieselerus proposuit: παπαῖ·οἶοῖ τὸ πῦρ. ἐπέρχ. δ. μ. perinde ac Stanleji conjectura, δέμας, a Karsteno recepta, locum corrumpit; ac ne id quidem, quod Hermannus olim voluerat, παπαῖ, οἷόν μοι πῦρ ἐπέρχεται τόδε, bonum est. Rectissime vero Engerus edidit δ'ἐμοί pro vulgata δέ μοι, postquam jam Blomfieldius illud commendavit. Nam ut antea in Commatica parte Cassandra primum Agamemnonis sortem; deinde suam praedixit, sic nunc in trimetris postquam de illius nece locuta est (vs. 1182—1217) ad se rursus venit; et perniciem quam antea Agamemnonem arripientem conspicari sibi visa est, nunc ad se vertentem cernit. Itaque vulgatae lectioni praestat δ'ἐμοί, quoniam in pronomen accentus cadit.

vs. 1219 seqq. κτενεῖ με τὴν τάλαιναν, ὡς δὲ φάρμακον
τεύχουσα κἀμοῦ μισθὸν ἐνθήσει κότῳ
ἐπεύχεται, θήγουσα φωτὶ φάσγανον,
ἐμῆς ἀγωγῆς ἀντιτίσασθαι φόνον.

Difficillimi versus, de quibus valde dissentiunt interpretum sententiae. Omnes vero in uno gravissimoque errore versantur, ex quo profecti sunt alii. Sic enim hic locus accipitur, quasi de Agamemnonis caede hic sermo sit. At cum inde a vs. 1182 usque ad vs. 1214 de Agamemnone satis locuta sit Cassandra, in hac oratione vs. 1215 ad suam ipsius sortem venit, his verbis: παπαῖ. τόδ'οἷον πῦρ ἐπέρχεται δ'ἐμοί; perniciem enim ab Agamemnone nunc ad ipsam se vertere, sensus est verborum ἐπέρχεται δ'ἐμοί, id quod modo demonstravimus. Tum sic pergit: αὕτη δίπους λέαινα .... κτενεῖ με τὴν τάλαιναν, sicut etiam in reliqua hujus longae orationis parte de sua morte loquitur, a vs. 1223 usque ad finem. Itaque nisi quis statuere velit, Aeschylum omnia confudisse nullaque recta ratione utentem permiscuisse, in his versibus non de Agamemnonis, sed de ipsius Cassandrae nece sermonem esse sibi persuadeat. Hoc igitur cum certum sit, jam ad singula examinanda pergendum. Verba ἐμῆς ἀγωγῆς ἀντιτίσασθαι φόνον apparet non explicanda esse: „nece eum (scil. Agamemnonem) ulcisci, quia me adduxerit", ut plerique hoc intelligunt, — sed: „me ulcisci nece, quia adducta sim ab Agamemnone;" vox enim, quae est ἀγωγή, non modo de eo qui adducat, sed etiam de eo, qui adducatur, recte usurpatur, sicut Theotisce optime dicere possumus: „sich an

mir für meine Herbeiführung zu rächen." — Sed quid **significat** ἐπεύχεται? Karstenus, qui in vs. 1222 de Agamemnone **non** esse cogitandum recte animadvertit, interpretatur: „**optat**, vota facit." — Hoc falsum est; nam verbum ἐπεύχεσθαι, si **significat**: optare, necessario conjungendum est cum **infinitivo** alicujus verbi, quod talem actionem exprimat, quam **non is** ipse agat, qui ἐπεύχεται; ita ut recte quidem diceretur: ἐπεύχο**μαι** τοῦτο γενέσθαι, i. e. opto, ut hoc fiat; falsissime vero: ἐπεύχο**μαι** τοῦτο ποιῆσαι, pro hoc: volo hoc facere. Sed haec **verba** ἐπεύχομαι ποιῆσαι nihil aliud possunt significare, quam aut **hoc**: voveo, me hoc facturum esse, aut: glorior, quod aliquam rem feci vel facio. Ac de voto Clytaemnestrae cogitare, quam exsolvat caede Cassandrae, ineptum esset; sed ne altera quidem verbi ἐπεύχεσθαι significatio sententiam ullo modo ferendam efficit. Plerique enim interpretantur: gloriatur. Sed ut alia omittamus, hoc jam propter verba θήγουσα φωτὶ φάσγανον improbandum est. Clytaemnestra enim nequaquam ἐπεύχεται dum adhuc viro ferrum acuit, h. e. dum facinus adhuc praeparat, — ineptissime enim ante factam rem gloriaretur — sed patrato facinore, postquam omnia prospere processerunt, tunc demum gloriatur, se justam poenam exegisse; v. sequentem hujus fabulae scenam, vs. 1332 seqq., vs. 1366, praecipue vss. 1354 ac 1442 seqq. Ergo, quoquo modo verbum ἐπεύχεται explicatur, sententia inepta evadit; neque enim vota quae faciat Clyt., neque vanas ejus jactationes Cassandrae animum tam vehementer commovere verisimile est, ut de iis quasi de rebus terribilibus loquatur. Sed necessario de ipsa caede hic sermo esse debet. His igitur omnibus perpensis in mentem mihi venit, poetam fortasse scripsisse:

ἐπείγεται, θήγουσα φωτὶ φάσγανον,
κἀμῆς ἀγωγῆς ἀντιτίσασθαι φόνον.

Verbum ἐπείγεσθαι apud nostrum legitur etiam in Choeph vs. 646, Eum. vs. 52. οὔκουν ἐπείξει δεσμὰ τῷδε περιβαλεῖν;

Sensus igitur horum duorum versuum hic est: „Dum viro ferrum acuit, etiam hoc festinanter agit, ut adductionem meam caede ulciscatur; i. e. ut hoc uno ferro, quod acuit, non solum maritum, sed etiam me trucidet propter adventum meum." Non dicit: ἡμῖν θήγουσα φάσγανον; eam enim utpote servam

(εὐμαρὲς χείρωμα, vs. 1286) tamquam πάρεργον Clyt. post Agamemnonem interfectura est.

Sed nunc ad antecedentem versum revertendum est, qui item leni mutatione eget. Clytaemnestra cum muliere venefica comparatur: ὡς φάρμακον τεύχουσα κἀμοῦ μισθὸν ἐνθήσει κότῳ. Verba ἐμοῦ μισθόν plerique (inter quos Schneidewinus, Engerus, al.) sic interpretantur: mercedem pro me, i. e. mercedem, sive poenam, pro amore in me, pro necessitudine, quae ei (sil. Agamemnoni), mecum intercedit; — hoc explicari statuunt verbis ἐμῆς ἀγωγῆς. Sed cum paullo supra nobis persuaserimus, de Agamemnonis poena atque caede hoc loco non esse cogitandum, inde jam apparet, verba ἐμοῦ μισθόν, siquidem recta sint, nihil aliud posse significare, nisi hoc: meam mercedem sive: meam poenam. Sed quis tam male Aeschylum locutum esse credat? Plane inepta enim locutio esset: iram, simultatem et praemium miscere; nam μισθός, praemium, et κότος, simultas, notiones sunt prorsus diversi generis, quae inepte permiscerentur. Simultas in mente Clytaemnestrae id est, quod eam ad atrox scelus, caedem, impellit; μισθὸς vero Agamemnonis atque Cassandrae haec caedes ipsa est. Perversam igitur esse traditam lectionem, alterumque horum duorum vocabulorum, vel μισθόν, vel κότῳ, falsum esse dudum viderunt docti viri, Auratus, Casaubonus, Scaliger, Stanlejus, Musgravius; sed false, meo quidem judicio, in voce quae est κότῳ corruptelam inesse rati, pro qua vel ποτῷ vel κύτει iis placuit (atque κύτει Karstenus quoque probavit). Immo κότῳ rectissime se habet, μισθὸν vero absurdum esse videtur.

Cassandrae praemium (s. poena) in eo constat, quod illud φάρμακον a Clytaemnestra paratum ei exhauriendum est, id quod non pars veneni dici potest. Ne diutius verba perdamus, mihi videtur illud μισθὸν nihil esse nisi corruptio genuinae lectionis μῖσος. Necessario enim recta ratio pro μισθόν notionem aliquam poni jubebat, quae vocis κότῳ notioni affinis esset; quam mihi repperisse videor. Rectissima nunc est comparatio Clyt. cum quadam venefica; odium adversus Cassandram conceptum admiscet inveteratae in Agamemnonem simultati, quibus ambobus affectibus ad facinus patrandum stimulatur. Sed restat adhuc una offensio, quam Engerus et primus

quod sciam, commemoravit, et felici, ut videtur, emendatione sustulit (In Jahn. ann, 70, p. 383). Nam neque futurum ἐνθήσει (Hermannus et Wellauerus cum Farn. ἐνθήσειν) explicari potest neque κότῳ tam nude positum bene se habet, ad quam vocem aliud quoddam accedere debebat. Conjecit igitur Engerus: ἐνθεῖσ' ᾧ κότῳ, qua emendatione simul ingratum asyndeton inter hunc et sequentem versum tollitur.

Totum igitur locum conjunctis meis cum Engeriana emendatione sic scribam:

αὕτη δίπους λέαινα, συγκοιμωμένη
λύκῳ, λέοντος εὐγενοῦς ἀπουσίᾳ,
κτενεῖ με τὴν τάλαιναν· ὡς δὲ φάρμακον
τεύχουσα κἀμοῦ μῖσος ἐνθεῖσ' ᾧ κότῳ
ἐπείγεται, θήγουσα φωτὶ φάσγανον,
κἀμῆς ἀγωγῆς ἀντιτίσασθαι φόνον.

Ad vss. 1225—1226 nihil annotandum, cum de lectione σέ plerique ut Schneidewinus, recte judicaverint, atque vs. 1226 egregia Hermanni emendatione restitutus sit, de qua nemo facile dubitabit.

vs. 1227. ἄλλην τιν' ἄτην ἀντ' ἐμοῦ πλουτίζετε. Qui traditam lectionem, ἄλλην τιν' ἄτην, retinuere, duabus rationibus eam explicare studuerunt, quarum alterius auctor est Naeckius quem Clausenus sequitur, alterius H. L. Ahrensius [1]) cui assentitur Wieselerus l. c. p. 104. Ahrensius dictum ἄλλην τιν' ἄτην πλουτίζετε confert cum hoc: ἄτην γεμίζειν χρήμασιν, apud nostrum in Suppl. 428 (ubi tamen haec lectio non est genuina; sed v. schol. ad h. l.) „egregie enim," dicit, „quaecumque pereunt, Aten ditare dicuntur, quae quodam modo cupide ea arripit; ἄλλην noto more quem pleonasticum dicunt." — Comparant etiam Soph. locum, in Oed. R. vs. 30.

Ἅιδης στεναγμοῖς καὶ γόοις πλουτίζεται·

Sed si hunc in modum locum nostrum explicamus, sententia existit prorsus eadem, quae jam praecedenti versu 1226 expressa est ἴτ' ἐς φθόρον, neque quidquam novi adderetur. Nulla vero causa est, cur Cassandra hanc sententiam: —„pereatis" —

---

a) in libello quem de causis Aeschyli nondum satis emendati conscripsit, in progr. gymn. Ihlefeld. 1832, p. 33.

tanto opere extollat, ut eam bis vario modo exprimat, praesertim intercedentibus verbis ἐγὼ δ' ἅμ' ἕψομαι. Praeterea si illa poetae sententia fuisset, credo eum dicturum fuisse: ἄτην ἀντ' ἐμοῦ πλουτίζετε, neque vero ἄλλην τιν', ἄτην· De Naeckii autem interpretatione (qui dicit, Cassandram se ipsam ἄτην, noxam, appellare, quoniam vatum ea sors sit, ut ipsi paene pro causa malorum quae praedicant, habeantur) rectissime judicavit Hermannus, c. v. a.

Quum igitur harum duarum explicationum utramque rejecerimus, inde jam sequitur, Schneidewinianam quoque a vero aberrare, quae ex illis duabus tamquam mixta est, ita ut Cassandra quasi ludat duplici vocis quae est ἄτην significatione. Egregie vero dudum Stanlejus ἄτης emendavit, quod Hermanno quoque, Engero, Karsteno, al., placuit. Contra hanc lectionem disputant Schneidewinus et Wieselerus (l. c.); quoniam enim Cassandra coronas, quibus ornata fuerit, discerpat, in posterum fieri non posse, ut alia quaedam illis ditetur. Si Schneidewinus ac Wieselerus acerbam illi dicto inesse ironiam perspexissent, hoc ἄλλην τιν' ἄτης πλουτίζετε pulcherrimum esse eos judicaturos fuisse arbitror. „Aliam, siquidem potestis, nunc pernicie ditetis; mihi certe jam non amplius perniciei eritis; mox enim mortem obitura sum." — Mirum vero est, quam multis conjecturis hic locus vexatus sit, nimirum ut ipsa poetae verba quodammodo ἄτης ditentur.

In eandem sententiam in quam Stanlejus, Schützius quoque incidit, qui scripsit ἄταις, quod probavit atque recepit Blomfieldius, coll. Soph. Oed. R. vs. 30. Sed multo lenius ex ἄτην efficitur ἄτης, quam ἄταις. In genitivo vero non esse quod jure offendat, demonstravit Hermannus.

Sequuntur haec: (vs. 1228). ἰδοὺ δ' Ἀπόλλων αὐτὸς ἐκδύων ἐμὲ
χρηστηρίαν ἐσθῆτ', ἐποπτεύσας δέ με
κἂν τοῖσδε κόσμοις καταγελωμένην μέγα
φίλων ὑπ' ἐχθρῶν οὐ διχορρόπως μάτην·

Locus pulcherrimus egregia Hermanni emendatione μέγα pro codd. μετά, in pristinum nitorem restitutus est. At non omnibus haec emendatio placuit. Wieselerus l. c. eam inutilem esse judicavit, sic verba conjungens: καταγελωμένην μετὰ φίλων ὑπ' ἐχθρῶν οὐ διχορρόπως, μάτην· „qui me punivit, cum etiam in

hoc ornatu temere irriderer, medios inter amicos, ab iis qui manifesto inimici mei erant.[1]) Sed ut alia praetermittamus, nullo modo intelligi potest, quinam fuerint illi amici Cassandrae. Scimus autem, vaticinia ejus ab omnibus suis irrisu insectata esse; cf. vs. 1171: ἔπειθον οὐδὲν οὐδέν, ὡς τάδ' ἤμπλακον· Sin vero nonnulli Trojae fuissent homines, qui ei fidem habuissent eamque contra aliorum injurias defendissent, magnum certe Cassandrae solatium remansisset, propter quod deo gratias agere debuisset; ineptum autem esset mirabiliter, si Apollini hoc objiceret, quod medios inter amicos ab inimicis irrisa fuisset. Immo haec justa ei causa est acerbi opprobrii, quod ne unus quidem amicus ac tutor ei remansit, sed etiam ii, quos propter consanguinitatem ei amicos esse par erat, inimicos se praestitere. Apparet igitur, non esse discrimen faciendum inter amicos illos et inimicos de quibus loquitur, sed recipiendam esse Hermanni emendationem μέγα, et verba sic construenda: φίλων ὕπ', ἐχθρῶν οὐ διχορρόπως ab amicis, qui manifesto inimici mei erant." Viderunt hoc Blomfieldius, Wellauerus, al.; frustra dicunt nonnulli, collocationem verborum οὐ διχορρόπως vetare hanc juncturam, jam enim Blomfieldius recte comparavit Aesch. Suppl. 951. ἐπεὶ σωτῆρες οὐ διχορρόπως. Quo sensu φίλων accipiendum sit, docemur a Schoemanno ad Eumen. pag. 200.

Errant vero plerique in eo, quod vocem, quae est μάτην, vel cum οὐ διχορρόπως vel cum καταγελωμένην conjungunt. Rectum viderunt Welckerus (in mus. Rhen. 1854, pag. 198), et Engerus in editione (aliter enim in Jahn. ann. tom. 70, p. 383 de hoc loco judicaverat), qui ἐποπτεύσας μάτην copulanda esse docuere. Qui participium ἐποπτεύσας ab adverbio μάτην sejungunt, eorum alii ἐποπτεύειν interpretantur: punire, quam significationem hoc verbum per se numquam habere potest, alii, in quibus Hermannus, ἐποπτεύσας με καταγελωμένην interpretantur; „quod me derisam conspexit." Sed ἐποπτεύειν numquam est idem quod simplex „conspicere" vel „intueri", sed semper inest curandi quoque vel tutandi vel administrandi notio, praecipue cum de deo aliquo usurpatur, id quod e locorum comparatione facile ap-

1) In his praepositionis collocatio in versus fine per se non esset vituperanda, cf. quae exposuit Hermannus ad Eumen. v. 236.

parebit. Occurit hoc verbum apud Aeschylum in Agam. vs. 1547: φαίην ἂν··· θεοὺς ἄνωθεν γῆς ἐποπτεύειν ἄγη, saepius in Choephoris, vss. 1, 483, 577, 987, 1060. Eum. 223 δίκας δὲ Παλλὰς τῶνδ' ἐποπτεύσει θεά· Eum. 219: (Apollo Furiis dicit):

εἰ τοῖσιν οὖν κτείνουσιν ἀλλήλους χαλᾷς,
τὸ μή τίνεσθαι μηδ' ἐποπτεύειν κότῳ,
οὔ φημ' Ὀρέστην σ' ἐνδίκως ἀνδρηλατεῖν·

qui locus fortasse non nullos in fraudem induxit, ut putarent, ἐποπτεύειν nonnunquam significare: punire [1]). — Apollinem Cassandrae ἐπόπτην esse oportebat, quippe quae vates ejusque sacerdos fuerit. Sed hoc officium minime praestitit, cum eam κἀν τοῖσδε κόσμοις derideri passus sit. Itaque Cassandra cum Apollini haec dicat ἐποπτεύσας με..., necesse est addat vocem aliquam, qua significetur, qualis fuerit illa ἐποπτεία. In hoc enim totius sententiae summa est; nam in eo tota haec orationis pars versatur, ut Cassandra exponat, Apollinem sibi nihil nisi perniciem ac malum dedisse, vss. 1227—1237. Recte igitur se haberet oratio, si aut acerba quadam utens ironia diceret καλῶς ἐποπτεύσας με aut sine tali ironia κακῶς vel aliud quoddam ejusdem generis vocabulum, quale habemus in voce μάτην· Apparet igitur, necessario copulanda esse haec: ἐποπτεύσας με μάτην; in collocatione vero vocis quae est μάτην, non modo nullam offensionem praeberi eo quod a participio ἐποπτ. tam longe remotum multisque aliis verbis intercedentibus diremptum est, — sed potius hoc ipsum pulcherrimum atque consulto ab egregio sapientique poeta institutum esse, supra ad vs. 1015 exposuimus. Magnum enim pondus et in pronuntiando gravis accentus cadit in hoc μάτην, in quo summa sententiae vis continetur; irritam enim fuisse dei tutelam atque ἐποπτείαν, totius hujus sententiae primaria notio est. Ceterum cf. Welckerum l. c, et Engeri annotationem [2])

Breviter nunc aliae loci explicationes refutandae sunt. Καταγελωμένην et μάτην non esse conjungenda (id quod Wellau-

1) Idem statuendum de verbo ἐπιδεῖν, Aesch. Sept. ctr. Theb. πῶς νιν Ζεὺς νεμέτωρ ἐπίδοι κοταίνων.

2) Aliter Engerus in censura editionis Hermannianae, in Jahn. ann. loco saepius jam citato, pag. 383, de hoc loco judicaverat, sed αἱ δεύτεραι φροντίδες meliores fuere.

ero, aliisque visum) Hermannus demonstravit acutissime; „non enim hic quod injuria „sperta essent ejus vaticinia, sed simpli„citer quod spreta et contempta essent queri eam conveniebat.“ Languidum esse μάτην ad καταγελωμένην relatum, intelliget quicunque aliquo sensu poetico praeditus est. Schneidewini vero explicatio vix a quoquam probari potest, quis enim Graece loquens pro his: καταγελωμένη ὡς ματαία (i. q. insana) diceret: καταγ· μάτην? Erravit Schneidewinus praetera eo, quod verba κἀν τοῖςδε κόσμοις cum ἐποπτεύσας με conjunxit.

Si diceret Cassandra 'Απόλλων . . ., κἀν τ. κ. ἐποπτ. με particula καὶ sensu careret; nam nisi Cas. hunc ornatum sacerdotalem haberet, i. e. nisi Apollinis sacerdos esset, deus omnino non esset ejus ἐπόπτης. — Itaque unica recta horum versuum explicandorum ratio ea esse videtur, quam praeverterunt Welckerus atque Engerus; utrum vero alii ante hos sic locum interpretati sint nec ne, equidem nescio; cum enim hoc tempore ruri verser, non omnium Agamemnonis editionum mihi copia est.

Haec vero sententia: ἐποπτεύσας μὲ κἀν τοῖς δε κόσμοις καταγελωμένην, μάτην, non erat per particulam δέ, sed per γε his verbis: 'Απόλλων αὐτὸς ἐκδύων ἐμὲ χρηστηρίαν ἐσθῆτ', annectenda. Continet enim (id quod Enger recte animadvertit) causam, cur Apollo ἐκδύει. Nam quoniam et antea frustra Cassandrae tutor fuerit Apollo, illa nunc consentaneum esse dicit, eum ipsam veste sacerdotali exuturam. ἐποπτεύσας δέ με autem, id quod Hermannus vidit, ceteris textus verbis servatis, falsum esse apparet, „nam illa verba aut verbum aliquod aut nomen quod pro verbo esset, requirebant.“ Atque Hermannus ut hanc offensionem tolleret, pro μάτην scripsit ματήρ, nobis vero cum vocem μάτην nullo modo mutari posse nobis persuaserimus, placet, quod Auratus dudum repperit, editores autem neglexere. Certe hoc melius est, quam Engeri lectio, qui deleta prorsus particula edidit: ἐποπτεύσας ἐμέ, quod jam Halmius in lectionibus Aeschyleis (1835) proposuerat. Sed jam propter parem antecedentis versus finem haec lectio displicet. De Hermanniana lectione:

ἐποπτεύσας δέ με
κἀν τοῖσδε κόσμοις καταγελωμένην μέγα
φίλων ὑπ' ἐχθρῶν, οὐ διχορρόπως ματήρ

„nam quod me hoc quoque in ornatu valde derisam ab amicis inimicis conspexit, non ambigue ejus ornatus vindex est,“ pauca dicenda sunt. Quamquam enim eam rejiciendam esse jam intelleximus, tamen quid voluerit Hermannus explicandum est; nam qui eum refutarunt, Welckerus (in mus. Rhen. l. c.), Engerus (in Jahn. ann. l. c.), Wielelerus (in notit. liter. Gotting. l. c.), non recte, quae Hermanni sententia fuerit, perspexisse videntur. Herm. vocabulum ματήρ ex Hesychio sumpsit, qui id explicat per ἐπίσκοπος, ἐπιζητῶν, ἐρευνητής. Equidem hoc modo Hermanni interpretationem intelligo. „Apollo veste sacerdotali me olim exornavit; nunc vero eam mihi rursus ademturus esse videtur; nam eo quod passus est, me vatem suam, derideri, hoc jam indicavit, se hac dignitate rursus me orbaturum suoque ornatu exuturum esse;“ hoc igitur dixit: ματὴρ est hujus ornatus; quia eum tamquam debitum quoddam quod sit reddendum, exigit. Vindex enim in interpretatione Hermanni nequaquam (siquidem egregii viri sententiam recte intelligo) significat ultorem vel patronum, id quod dicit Welckerus; sed sicut μαστήρ, eum, qui aes alienum a debitoribus exigebat (i. q. ζητητής, συλλογεύς, cf. Schoemann antiq. Gr. p. 420). Non esset haec bona explicatio, melior tamen quam ea quae Hermanno ab illis criticis tribuitur.

Singularis est etiam Karsteni sententia, qui etiam hic temere mutavit, scribens pro ἐποπτεύσας δέ με· ἀποπτύσας θ' ὁμοῦ. Qua tandem de causa dicat Cassandra, Apollinem ipsam respuere? et si hoc faciat, cur hoc faciat ὁμοῦ, i. e. dum mihi χρηστηρίαν ἐσθῆτα exuit?

Sequuntur haec: (vs. 1232) καλουμένη δε φοιτὰς ὡς ἀγύρτρια
πτωχὸς τάλαινα λιμοθνὴς ἠνεσχόμην

quae diverso modo explicantnr. Hermannus sic verba distinxit et interpretatus est:

καλουμένη δὲ φοιτάς, ὡς ἀγύρτρια,
πτωχός, τάλαινα, λιμοθνής, ἠνεσχόμην

„sustinui, misera, quasi circulatrix vocari insana, mendica, fame peritura. Enumerat convicia, qualia jaci in circulatrices soleant.“ — In quibus primum hoc displicet, quod tria illa convicia, quibus Cassandra sibi maledictum esse conqueretur φοιτάς — πτωχός — λιμοθνής, non ut par erat

juxta se posita, sed aliis vocabulis interpositis diremta sunt, quo oratio et obscura et artificiosa fit maleque dilaceratur. Praetera autem, id quod gravissimum est argumentum, tales contumeliosae voces, quales hae sunt: πτωχός et λιμοθνής levissimi sane ponderis sunt, immo ridiculae quam maxime, cum in aliquem jactantur, qui divitiis unde victum sumat, abunde fruitur. Neque qui re vera dives est, umquam indigne fert hujusmodi maledicta. Quamvis enim Cassandra valde derisa fuerit atque contemta, minime tamen cogitandum esse cum Schützio, Wellauero, aliis, eam in egestate fuisse vel domo exturbatam, inde certum est, quod talis ejus conditionis nusquam apud poetas veteres mentio fit; cf. Herm. ad h. l., Welckerum in mus. Rhen. IX., p. 200. Si Cassandra illa mala re vera perpessa esset, certe vs. 1171 locus erat haec referendi, ubi Cassandra interroganti Choro:

πῶς δῆτ' ἄνατος ἦσθα Λοξίου κότῳ: hoc *tantum* respondit: ἔπειθον οὐδέν' ὡς τάδ' ἤμπλακον·

Singulari vero argumento utitur Karstenus p. 274, ut demonstret, Cassandram in parentum domo re vera πτωχὸν et λιμοθνῆτα fuisse. Nam etiam Sophocleam Electram quae et ipsa regia virgo sit, de se dicere (vs. 181) ὧδε μὲν ἀεικεῖ σὺν στολᾷ, κεναῖς δ' ἀμφίσταμαι τραπέζαις. Quasi quae de Electra eadem etiam de Cassandra valere necesse sit. Sed Aeschylus certe de hujusmodi miseria, quae Cassandrae apud suos perferenda fuerit, nihil scit. Itaque si qui in Cassandram stante adhuc paterna regia talia convicia congessissent, qualia haec sunt, πτωχός et λιμοθνής, conviciatores sane insulsissimi fuissent homines, multo vero insulsior ipsa Cassandra, siquidem talia tanto opere curaret atque adeo iis irritaretur, ut hoc loco, ubi calamitates suas deplorat, tanta cum acerbitate Apollinem objurgaret, quod illae maledictiones sibi audiendae fuissent: πτωχός, λιμοθνής. Immo consentaneum videtur, Cassandram de his conviciis, si quidem ab aliquo in eam jactatae fuissent, non magno opere laboraturam eaque ut leviora quam quibus commoveretur, prorsus neglecturam fuisse. — Alius generis esset hoc convicium, φοιτάς, insana ~~vocata~~. Nam quod spreta fuerint vaticinia sua ipsaque insana vocata, ea sane justa causa est, cur vates conqueratur atque indignetur. — Ex his quae

exposuimus, apparet, has voces, πτωχός et λιμοθνής, nullo modo posse ad Cassandram referri, sive eas cum καλουμένη sive cum voce quae est ἠνεσχόμην conjungas; nam mendica vel fame moritura Cassandra neque fuit umquam, neque se ita appellatam fuisse queri potest, nisi ineptire velit, sive fuit sive non.

Vox autem, quae est τάλαινα, nullo modo ab his duabus vocibus, inter quas in medio posita est, divelli debet, sed haec tria adjectiva ad unam eandemque personam spectare ipsa collocatio verborum plane monstrat. Iam perspicuum est, conjungenda esse haec tria ac necessario epitheta τῆς ἀγυρτρίας habenda. At tunc vox, quae est τάλαινα, de circulatrice dicta frigida ac languida est mirabiliter, id quod rectissime Hermannus animadvertit. Vocabulum τάλαινα, quoquo nos vertimus, offensioni est. Nihil enim efficit hoc vocabulum ad designandam τὴν ἀγυρτρίαν; neque ea est circulatricis proprietas, quod misera est, sed miseram Cassandra se ipsam quoque summo jure appellare potuit. Immo tale quoddam epitheton hoc loco adjici consentaneum erat, quo significaretur aliquid, quo circulatrix a Cassandra differret. Equidem conjicio, fortasse Aeschylum scripsisse:

ὡς ἀγύρτρια πτωχός, ταπεινή, λιμοθνής.

Hoc epitheto, ταπεινή, (humilis, vilis) circulatrix utpote de infima plebe orta apte opponitur regiae virgini, et quadrat hoc epitheton optime ad illa alia adjectiva, πτωχός ac λιμοθνής.

Sed nunc rursus oritur quaestio, quaenam sit horum versuum structura. Duae rationes iniri posse videntur; nam verba haec, καλουμένη ἠνεσχόμην, vel conjunguntur, id quod plerique statuerunt,

καλουμένη δὲ φοιτάς, — ὡς ἀγύρτρια
πτωχός, ταπεινή, λιμοθνής, — ἠνεσχόμην

„sustinui vocari insana, quasi circulatrix, mendica, plebeja, fame peritura“; — vel separantur, ita ut ἠνεσχόμην, idquod nonnumquam fit, absolute sit positum; unde haec efficitur structura:

καλουμένη δὲ φοιτάς, — ὡς ἀγύρτρια
πτωχός, ταπεινή, λιμοθνὴς ἠνεσχόμην.

„dum insana vocabar, tolerabam, quasi circulatrix mendica, vilis, famelica.“ Quarum structurarum illa prior prorsus non

est admittenda, quia certe non omnis circulatrix φοιτάς, insana appellatur, neque etiam, si haec esset sententia: „sustinui insana vocari“, apta essent tam multa circulatricis epitheta. Cavendum igitur est, ne quis cum Blomfieldio, Hermanno, aliis, haec: χαλουμένη ἠνεσχόμην, conjungenda esse putet, nam recta ratio, ut vidimus, hanc juncturam prorsus respuit.

Ex quibus certum est, unice rectam esse hanc structuram:

καλουμένη δὲ φοιτὰς, — ὡς ἀγ. πτ. τ. λ. ἠν.

Sed nondum omnia confecta sunt, quamvis in his nulla remanserit offensio verba per se contemplanti. At quantum sententia lucretur et quam mirifice ejus vis augeatur, cum pro φοιτάς scribitur φοιβάς, in quod Spanheimus ac Blomfieldius inciderant (ipsi tamen, ut videtur, mire non intelligentes hujus emendationis praestantiam), Welckerus in mus. Rhen. loco supra jam cit. docet, omnino hos versus recte tractans, nisi quod in illa inepta lectione τάλαινα acquievit; secutusque eum est Schneidewinus.

φοιβάς legendum esse ex eo certum fit, quod universus hic locus (a vs. 1227—1235) Apollinis exprobrationem continet. Haec igitur est versuum horum sententia: „Ego, quae Apollinis sacerdos appellabar, tamen patiebar, quasi circulatrix.“ Sententia igitur simillima est praecedentibus versibus. Nam id, quod Apollinis ἐποπτεία nihil Cassandrae profuisset, ac deus sacerdoti suae parum esset patrocinatus, etiam horum versuum summam esse supra ostendimus.

Attamen gradationem quandam in his cognoscere debes. In vss. 1229—1231 hoc tantum dicit, se derisam esse, nunc vero, se male tractatam, spretam ac vitatam esse ab omnibus, tamquam vilem circulatricem; quibus postremo adjungit (vs. 1234): „nunc vero etiam ad mortem me adduxit.“ Itaque totus locus sic scribendus ac distinguendus esse videtur:

ἰδοὺ δ', Ἀπόλλων αὐτὸς ἐκδύων ἐμὲ
χρηστηρίαν ἐσθῆτ'· ἐποπτεύσας γέ με —
— κἀν τοῖσδε κόσμοις καταγελωμένην μέγα
φίλων ὕπ', ἐχθρῶν οὐ διχορρόπως, — μάτην.
καλουμένη δὲ φοιβάς, — ὡς ἀγύρτρια
πτωχὸς ταπεινὴ λιμοθνὴς ἠνεσχόμην.

Conjecturae vero aliae iis, quae exposuimus, jam redar-

gutae sunt, sicut κάλωμένη Heathii (quod recepit Schützius) et κακουμένη quod inter alios Karstenus probavit. Engerus sic edidit: καλουμένη δέ, φοιβὰς οὖσ', ἀγύρτρια πτωχὸς, τάλαινα, λιμοθνὴς ἠνεσχόμην, in qua lectione jam id permirum est, quod vox τάλαινα inter convicia est, quibus Cassandrae maledictum esse statuit. —

Cassandrae ob duas causas sibi in lugendo miseram suam sortem temperandum esse censet; primum quod sciat se non inultam esse morituram (vss. 1238—44), tum quoniam ne aliis quidem melior sors quam ipsi ceciderit. (vss. 1246—48.) Huic alteri sententiae praemittit hunc versum:

(vs. 1245.) τί δῆτ' ἐγὼ κάτοικος ὧδ' ἀναστένω;

Consolari se quodammodo sibique persuadere studet, non nimis adversam sortem se nactam esse. Sed in hoc versu vocabulum κάτοικος stare non posse plerique dudum intellexerunt; insulsum enim est quam maxime, cf. quae Emperius in diar. antiq. 1835, p. 632 monuit. Conjecturas alii alias protulerunt, nonnulli pessimas, ut Auratus, qui πρόοικος voluit. Multo melius Wieselerus scripsit κάκοιτος (in Philol. tom. VII., pag. 125), Emperius l. l. τί δῆτ ἐγὼ κατ' εἰκός, (h. e. κατὰ τί εἰκός). Aeschyli manum lenissima mutatione, unam literulam inserendo, Scaliger dudum restituit, conjiciens κάτοικτος, quod a multis neglectum novissimis editoribus placuit. Qua lectione ne quis eo offendatur, quod hoc vocabulum alibi nusquam legitur apud Graecos scriptores, Schoemannus pag. 6 monuit, etiam vocem ἔποικτον, quam in Agam. vs. 582 legimus, ἅπαξ εἰρημένην esse, quam Casaubonus non debebat mutare in ἐπακτόν, quod Blomfieldius recepit. Utrumque vocabulum, et ἔποικτος et κάτοικτος, analogiae non repugnat, ita ut Lexicon Aeschyleum sine ulla dubitatione vocabulo quod est κάτοικτος locupletare possimus. Sed hanc lectionem:

τί δῆτ' ἐγὼ κάτοικτος ὧδ' ἀναστένω;

equidem aliter censeo explicandam esse ac plerumque fit. Schoemannus eam interpretatur: „Quid ego sic lamentabilis conqueror?" Ita etiam Schneidewinus. Sed tunc nescio, an melius cum Karsteno scribatur: τί δῆτ' ἐγὼ κάτοικτον ὧδ' ἀναστένω; lamentabile queror, h. e. lamentabilem gemitum edo." At non apte haec notio hoc loco tanto opere extolleretur; cum

nexus sententiarum doceat, hanc esse sententiae summam, quod Cassandra non ita magnum jus habaet, tantas querelas edendi; ergo sic construendum esse videtur: τί κάτοικτος; „quanam igitur in re ego adeo lamentabilis sum, ut tam vehementer ingemiscam?" Qui igitur hunc locum recitet, pronomen τί cum accentu debet enuntiare. —

Hermannus, spreta nescio qua de causa Scaligeriana emendatione, haec edidit; τί δῆτ' ἐγὼ μέτοικος ὧδ' ἀναστένω; quod captivam significare vult. Haec coujectura ab H. L. Ahrensio quoque facta a Franzio recepta erat. Improbaverunt eam Schoemannus, Karstenus, Schneidewinus; merito, ut videtur. Etiamsi Cassandra se μέτοικον appellare posset, in hoc sententia certe hoc male ac perverse faceret; „quid ego captiva sic ingemisco?" — quasi propterea quod captiva est, minorem habeat conquerendi causam!

Accedit argumentum, quo Schoemannus Hermannum refutavit. Nam in voce, quae est μέτοικος semper praevalere notionem habitandi peregrino loco, comparatio locorum docet ubi illa vox apud poetas occurrit. Sunt autem hi: Aesch. Suppl. 963, Pers. 314, Cho. 670, (965?), Eum. 992; Soph. Oed. R. 452, Oed. Col. 934, Ant. 867; Eur. Bacch. 1354, Heracl. 1033, quibus addas Eur. Suppl. 593, ubi verbum μετοικεῖν legitur.[1])

---

1) Pauca hic dicenda sunt de Agam. vs. 57, ubi disceptatur, utrum parentes vultures an ipsi pulli e nido rapti hac voce, μετοίκων, significati sint. Illud statuerunt e recentioribus interpr. Schoemannus, Schneidewinus, hoc Hermannus, Engerus. Schoemannus (in emendatt. p. 6.) haec annotat: „Μετοίκους Reisigius, enarr. Oed. Col. p. CXXV., recte monet a poetis generatim dici eos, qui sedibus suis mutatis alieno in loco habitent; sed hoc ipsum, ut habitent ibi, non negligendum est. Quam ob rem non recte puto ab eodem Reisigio et ab Hermanno in Ag. v. 57 τῶν δὲ μετοίκων de pullis vulturum accipi e nido abreptis licet praeiverit hanc explicationem scholiastes. Intelligendi sunt ipsi vultures in altissimis locis nidulantes et in summo aethere volitantes, ideoque caelestium deorum quodammodo inquilini." — Rectissime monet Schoem. necessarium esse, eum qui μέτοικος apelletur, patria vel pristina sede relicta nunc alio loco habitare. Sed propter hanc ipsam causam Hermannus recte ad pullos raptos hanc vocem retulit; et Schoemannus ipsius quodammodo sententiam videtur redarguisse. Nam pulli rapti summo jure μέτοικοι vocantur, quippe qui ibi habitent ubi raptores eos deposuerint, sicut Helena rapta Trojae μέτοικος est; atque in his, τῶνδε μετοίκων ὑστερόποινον πέμπει παραβᾶσιν Ἐρινύν,

Si Aeschylus nostro loco hac voce Cassandram ut captivam significare voluisset, addidisset aut τῆςδε γῆς aut simile aliquid. Nudum illud μέτοικος captivam non significaret.

Sequuntur hi versus (1246 seqq.)

ἐπεὶ τὸ πρῶτον εἶδον Ἰλίου πόλιν
πράξασαν ὡς ἔπραξεν, οἳ δ'εἶχον πόλιν,
οὕτως ἀπαλλάσσουσιν ἐν θεῶν κρίσει!
ἰοῦσα πράξω· τλήσομαι τὸ κατθανεῖν.

In vs. 1247 scribendum esse εἷλον pro εἶχον viderunt Peylius, Musgravius, Martinus (in observ. crit. pag. 7), Bambergerus (in Philol. tom. VII., p. 158, s. opusc. p. 251). Schillerus, Engerus, al., recte judicantes, non Trojanos, sed Graecos victores ac praecipue Agamemnonem his verbis significandos fuisse. Absurdum enim esse, discrimen facere inter urbem ipsam ejusque incolas; cum haec verba audiens: εἶδον Ἰλίου πόλιν πράξασαν ὡς ἔπραξεν, unusquisque non de ipsa urbe sola, i. e. de aedificiis, ex quibus constet, sed certe de incolis horumque sorte cogitet. Praeterea rectissime animadvertit Bambergerus, a Cassandra non civium suorum miseram sortem, sed eorum qui patriam suam deleverint, calamitatem his verbis significari potuisse: οὕτως ἀπαλλάσσουσιν ἐν θεῶν κρίσει. „Endlich den Trost, in Folge dessen sie so geduldig ihrem Tode entgegengeht, findet sie keineswegs allein im Unglück ihrer Vaterstadt, sondern namentlich darin, dass auch Agamemnons, des Siegers

---

facile unus quisque intelligere potest, hos μετοίκους dictos apud τοὺς παραβάντας esse μετοίκους. Nam quod Klausenus quidem excogitavit, qui annotat: „non expulsi sunt pulli, sed trucidati", absurdius est, quam in quo refutando operam perdamus. Sane cum trucidatis pullis Helena rapta non posset comparari; sed unde, quaeso, Kl. scire potuit, pullos fuisse trucidatos? — Ex eo autem, qui cum Schoemanno, Schneidewino, aliis, vocem μετοίκους ad parentes vultures referat, quaerere velim, ubinam illi **habitent**, quos deorum inquilinos nominant Ipse enim poeta dixit: . . . τρόπον αἰγυπιῶν, οἵτ' ἐκπατίοις ἄλγεσι παίδων ὕπατοι λεχέων **στροφοδινοῦνται**, πτερύγων ἐρετμοῖσιν ἐρεσσόμενοι. Ergo μέτοικοι vocari nequeunt, nam nidum relictum **circumvolitant**, non amplius habentes fixam sedem. Addi possunt alia argumenta, quae haec praetermitti necesse est; fortasse alio loco aliquando omnia accuratius explanare licebit. Unum tantum addam, pronomen τῶνδε aperte sensu carere, quoquo vocem μετοίκων referas. Hermanni vero emendatio τῶν δὲ μετοίκων, egregia est, quam immerito omnes neglexerunt.

Haus, von ähnlichem Unheil getroffen wird. Dies Unheil, das die Zerstörer ihrer Heimat trifft, nennt sie ein Gottesgericht."— Quibus argumentis alia addere possumus. Primum enim, si de Trojanorum interitu sermo esset, praesens ἀπαλλάσσουσιν falsum esset, pro quo poeta aoristum posuisset. Tum autem ineptum esset τὸ πρῶτον; quasi oppidum antea deletum esset ac postea demum ii qui id habitarant, periissent! Has ob causas non dubito probare illam emendationem, εἶλον, qua recepta haec exsistit sententia: Quo tandem jure sic conqueror, cum primam patriam meam deletam viderim, atque etiam victores tali modo pereant! — Schneidewinus, qui vulg. retinet, huic emendat. contradicit; quoniam enim Agamemno insidiis ac dolo captus trucidatus sit, ejus sortem non posse per θεῶν κρίσιν adductam appellari contendit. Sed Agamemnoni nequaquam culpa vacuo necem obvenire Cassandrae sententia est sicut ipsius Chori, qui in secundo cantico haud ambigue angorem suum prodit, ne aliquando regis culpa divinam quandam poenam provocet. Atque in tota malorum serie, quibus Pelopidarum domus genusque conficiebatur, in qua serie Agamemnonis nex unum quasi membrum erat, κρίσις quaedam θεῶν ab omnibus cernebatur, estque haec ipsa totius tragoediae summa. — Itaque emendatio illa εἶλον et necessaria et pulcherrima esse videtur. Permirum vero est, quod Fuhrius in diar. antiq. a. 1841, p. 198 protulit, „οἳ δ'εἶχον πόλιν ad sequens vocabulum θεῶν pertinet, pro ἀπαλλάσσουσιν scribendum est ἀπαλλάσσουσαν et totius loci sensus idem statuendus, ac si auctor dixisset: πόλιν δ'ἐν θεῶν κρίσει, οἳ εἶχον αὐτήν, οὕτως ἀπαλλάσσουσαν."—Talis verborum quasi distortio ab Aeschyli simplicitate plane abhorret.

Sed nondum satis dictum est de hoc loco. Nonne iteratio vocis quae est πόλιν in fine duorum subsequentium versuum gravem praebet offensionem? Equidem profecto hoc secundum πόλιν miserrimum esse censeo, ita ut Karstenus rectissime judicasse videatur, qui primus, ni fallor, editorum, manum illi vocabulo attulit. Apparet enim, id non a summo poeta, (quem in scribendis tragoediis interdum dormitasse nemo facile contendet, sed a librario quodam, cujus oculi ad antecedentis versus finem aberraverint, profectum esse. Tales iterationes

tragici non omnino vitant, nonnumquam etiam consulto duorum versuum terminos pares fecere, ut vocem aliquam extollerent, sicut factum esse videtur a Sophocle in Oed. R. vs. 777:

ἡγόμην δ'ἀνὴρ
ἀστῶν μέγιστος τῶν ἐκεῖ, πρίν μοι τύχη
τοιάδ' ἐπέστη, θαυμάσαι μὲν ἀξία,
σπουδῆς γε μέντοι τῆς ἐμῆς οὐκ ἀξία.

atque in eadem fabula vs. 1280:

τάδ' ἐκ δυοῖν ἔρρωγεν οὐ μόνῳ κακά,
ἀλλ' ἀνδρὶ καὶ γυναικὶ συμμιγῆ κακά.

ubi immerito critici mutaverunt (A. Nauck cj. συμμιγῆ χωρεῖ), nam iteratio vocis quae est κακά, nullam habet offensionem, quia malorum ingens turba a nuntio, cujus haec sunt verba, describitur. Aliter se habere videntur hi loci: Aesch. Choeph. 990:

ὡς τόνδ' ἐγὼ μετῆλθον ἐνδίκως μόρον
τὸν μητρός. Αἰγίσθου γὰρ οὐ λέγω μόρον.

ubi iteratio vocis μόρον valde ingrata est; fortasse scripsit Aeschylus in priore versu: φόνον. Aesch. Sept. ctr. Theb. 374, ubi v. Hermann aliosque interpretes. Cf. etiam Herm. ad Agam. vs. 1175. Haec eadem causa erat, cur supra vs. 1229 Halmii et Engeri lectionem ἐμὲ non amplectendam esse contendimus. Nostro autem loco vocabulum πόλιν non modo propter hanc causam ingratum ac molestum est, sed etiam quod in bona oratione, cum praecesserit πόλιν, non haec: οἳ δ'εἷλον π ό λ ι ν, sed aut nihil aut pronomen poni consentaneum erat. Quid scripserit poeta, nisi novis apertis fontibus certo inveniri non potest. Karsteni lectio: οἳ δ'εἶχον πλέον, quod victores significare vult, jam propterea displicet, quoniam his verbis Graeci nimis obscure significarentur.

Liceat apponere quod mihi ipsi in mentem venit; conjicio Aeschylum scripsisse fortasse:

ἐπεὶ τό πρῶτον εἶδον Ἰλίου πόλιν
πράξασαν ὡς ἔπραξεν· οἳ δ'ε ἷ λ ο ν, τὸ ν ῦ ν
οὕτως ἀπαλλάσσουσιν ἐν θεῶν κρίσει;

Similiter Chorus loquitur vs. 1295 seqq.

καί τῷδε πόλιν μὲν ἑλεῖν ἔδοσαν
μάκαρες Πριάμου...

θεοτίμητος δ' οἴκαδ' ἱκάνει.
νῦν δ' εἰ προτέρων αἷμ' ἀποτίσει cet.

In sequenti versu: ἰοῦσα πράξω· τλήσομαι τὸ κατθανεῖν, Hermannus (quem Schneidewinus sequitur) vocem quae est πράξω, sic interpretatur: „πράξω refertur ad sequens τλήσομαι τ. κ.," conferens vs. 1640. Languidum esse hoc πράξω, neque etiam d significare posse, quod Schneidewinus ei tribuit, „ich will mein Geschick empfangen," persuasum mihi est. Orellii πόρσω notionem supervacaneam in sententiam infert; multo melius est quod Heathius proposuit, Schützius, Dindorfius, al., receperunt, Schneidewinus laudat, ἰοῦσα κἀγὼ τλήσομαι Sed ad τλήσομαι adverbium quoddam desideratur, quo significetur, Cassandram animo quieto ac bene composito mortem opperire. Hoc sentiens Ahrensius conjecit ἰοῦσα πράως τλήσ., sed multo videtur aptius, quod mihi in mentem venit:

ἰοῦσ' ἀθράκτως τλήσομαι τὸ κατθανεῖν.

Forma θράττειν pro ταράττειν nonnumquam uti Atticos constat; quidni igitur forma ἀθράκτως pro ἀταράκτως;

E stichomythia quae hanc Cassandrae orationem sequitur, unum tantum locum eligere placet, de quo pauca dicenda sunt. Vs. 1268 haec sunt Cassandrae verba:

φόνον δόμοι πνέουσιν αἱματοσταγῆ;

quibus respondet Chorus:

καὶ πῶς; τόδ' ὄζει θυμάτων ἐφεστίων.

Sic recte interpungitur a plerisque editoribus. Contradicit Karstenus: „καὶ πῶς; est mirantis, negantis, quod hic parum „conveniens. Non enim negat Chorus, quod dixit Cass., aedes „olere sanguinem, sed odorem dicit esse victimarum; quare „nullam esse causam cur horrescat. Praeterea τόδε non venuste hic initio positum .... Suadent haec ut scribamus:

ἦ που τόδ' ὄζει θ. ἐ.

„ἦ που: nimirum, sane credo." — Sed cum Cassandra dicit: φόνον δόμοι πνέουσιν, in aperto est et Choro et unicuique alii, eam de hominum casde loqui.

Egregia vero Karsteni emendatio est versus 1272; „quod „vulgo legitur: ἀλλ' εἶμι κἀν δόμοισι κωκύσουσ' ἐμὴν 'Αγαμέμνονος „τε μοῖραν, significat: „ut hic ante aedes feci, ita etiam intus in „aedibus lugubrem cantum edam." At intus non amplius futu-

„rum erat canendi tempus, idque ipsa optime praesentiebat. „Ne dubites, Cassandram pro hoc dixisse:

ἀλλ' εἶμι κἀν θανοῦσι κωκύσουσ' ἐμὴν
'Α·τε μ., sicut dixit supra: (vs. 1119.)
νῦν δ' ἀμφὶ Κωκυτόν τε κἀχερουσίους
ὄχθους ἔοικα θεσπιῳδήσειν τάχα."

Hactenus Karstenus, cujus sententiam argumentis fulcire haud difficile opus est. Causa enim plane nulla excogitari potest, cur in ipsa domo post hanc scenam denuo lamentationes atque querelas de sua Agamemnonisque sorte instituere velit Cassandra. Nonne jam satis ploraverat? an Cass. adeo φίλοικτος est, ut usque ad ipsum mortis momentum lamentari non desinere sibi proponat? Cum ultimem ejus ῥῆσιν, vs. 1281—1290, aliquis legerit, certe judicabit, cogitari non posse, post ejusmodi verba vatem post suum de scena degressum in aedibus rursus de integro incepturam cantusque novos lugubres edituram esse, — quo cogitato mira illa vis, qua hoc praeclarum episodium animos auditorum lectorumve ferit atque commovet, quam maxime imminueretur. Itaque mirum est, ante Karstenum neminem in tam inepta lectione offendisse omnesque hic coecos fuisse. Palmaris vero est Karsteni emendatio: κἀν θανοῦσι, quae his verbis: ἀρκείτω βίος, extra omne dubium ponitur, Conf. Soph. Ai. τὰ δ' ἄλλ' ἐν Ἅιδου τοῖς κάτω μυθήσομαι. Neque vero quisquam ad defendendum illud κἀν δόμοισι afferat vs. 1407:

ἡ δέ τοι κύκνου δίκην
τὸν ὕστατον μέλψασα θανάσιμον γόον
κεῖται ......,

nam hoc aperte referendum est ad ipsam nostram scenam, non ad alium quendam θρῆνον in ipsis aedibus editum. Ac ne id quidem verisimile est, Clytaemnestram eam talem θρῆνον in domo cantare passuram fuisse. Itaque hic certe Karstenus poetae manum restituit felicissime. Haec vero emendatio longe optima est omnium, quas Karstenus in hac fabula fecit, cum multa ex arbitrio summaque audacia mutaverit. Posset quidem contendi, non ita levem esse hanc mutationem, θανοῦσι pro δόμοισι, sed ubi e sententia tam evidenter quid rectum sit cognoscitur, litterarum ductum nimis anxie curare non licet.

Pergit Cassandra (vs. 1274):

ἰὼ ξένοι.
οὔτοι δυσοίζω θάμνον, ὡς ὄρνις φόβῳ
ἄλλως· θανούσῃ μαρτυρεῖτέ μοι τόδε,
ὅταν γυνὴ γυναικὸς ἀντ' ἐμοῦ θάνῃ,
ἀνήρ τε δυσδάμαρτος ἀντ' ἀνδρὸς πέσῃ.
ἐπιξενοῦμαι ταῦτα δ' ὡς θανουμένη·

Virgulam ante θάμνον primus posuit Schützius, ἄλλως emendatio Herrmanni est certissima pro librorum ἀλλ' ὡς, probata ab omnibus fere interpretibus, rectissime, ut videtur. Nam ὡς θανούσῃ aperte sensu caret, quia Cass. vivens inepte Chori testimonium postularet, „quasi mortua esset." Neque hic locum habet particula ἀλλά, ubi nulla est oppositio. ἄλλως vero necessarium est ad sententiam. Nequaquam enim Cassandra dicere potest, se omnino non pavere aedium introitum, — οὔτοι δυσοίζω, θάμνον ὡς ὄρνις, φόβῳ, quippe quae summo angore correpta est, v. vs. 1265 seqq., sed hoc dicere potest, se non temere, non sine justa causa, οὔτοι ἄλλως, in metu esse ac trepidare, tamquam avem virgultum circumvolitantem. Avem enim ipsam nescire, sitne aliqua justa timendi causa an non; se vero, ut vatem, instantem suam necem τορῶς atque ἐτητύμως praescire.

Respicit ad verba Chori (vss. 1269 seqq.), qui Casandrae angorem ac metum demere conatus est, quasi frustra trepidaret. Structura vero, quam injuria nonnulli sollicitaverunt, a Schneidewino recte explicata est. Qui talia ut nimis audacia reprehendit ac ferri non posse censet, obliviscitur, se poetam legere.

Sed in sequentibus verbis non recte intellexerunt interpretes, quid sibi vellet pronomen τόδε vel quo referendum esset. Hermannus haec annotat: „non ego, ut avis virgultum, prae timore frustra metuo: testamini hoc mortuae, quum mulier pro me muliere et vir pro infausti connubii viro ceciderit." Sic ut nunc verba leguntur, illud τόδε ad nihil aliud respicere potest, nisi ad antecedentem sententiam: οὔτοι δυσοιζω ἄλλως, ita ut haec exsistat sententia: cum mortua ero, testamini, quaeso, me οὐκ ἄλλως, nequaquam sine justa causa, lamentatam esse, sed quia mortem mihi appropinquare praesciverim." Nam ad

aliud quoddam referri hoc pronomen verba vetant. At illa sententia minime conveniens esse videtur. Cur enim Chorus tale testimonium non statim post mortem Cassandrae dare jubetur, sed demum Clytaemnestra atque Aegistho occissis, h. e. pluribus annis post? Cassandram non ἄλλως in angore versari statim post necem ejus Chorus intelliget ac testificari poterit, neque Clyt. Aegisthique mors hic quidquam ad rem faciunt.

Aliter atque ab Hermanno pronomen τόδε explicatur a Schneidewino, qui hoc modo locum intelligit: „Cum mortua ero, hoc mihi testamini scil. me mortem, quam praesciverim, non pavisse." Sic fere jam Schützius: „hoc mihi testamini, me scil. intrepide ad mortem subeundam domum intrasse." Sed primum, ut supra jam monuimus, verba hoc non admittunt; ad nullam enim aliam sententiam vel notionem pronomen τόδε referre licet, nisi ad antecedens: οὔτοι ἄλλως δυσοίζω. Tum autem ne sic quidem, etiamsi Schneidewini explicationem sequeremur, sequentes versus, ὅταν γυνὴ γυναικὸς ἀντ' ἐμοῦ θάνῃ cet. sensum haberent; deinde ipsa haec adhortatio Chori: „testamini, me mortem non pavisse", jam per se maxime inconveniens esset. Primum enim Cassandra haec dicens Chorum mentiri juberet, quoniam hic eam haud intrepide mortem exspectare videt; ita ut absurde veritatis suae gloriam pessumdaret, si a senibus Argivis falsum aliquod testimonium peteret; tum vero plane nulla causa est, cur Cass. hanc falsam gloriam affectare studeat, quasi imminentem mortem non extimuerit. An suspicari eam credamus, fore ut post mortem homines ipsam propter mortis timorem reprehendant vel hunc metum atque angorem quasi indecorum ac turpem probro ei vertant? —

Jam apparere arbitror, quoniam in his versibus nihil insit, ad quod pronomen τόδε referri possit, necessario inter vss. 1276 ac 1277 lacunam statuendam esse. Nihil aliud Chorus post Clytaemnestrae Aegisthique interitum Cassandrae testificari juberi potest, nisi hoc, eam vere hunc interitum vel omnino ea quae futura atque eventura fuerint, vere vaticinatam esse. Quoniam enim vivae numquam fides habita fuerit, hoc petit, ut mortuae saltem honor in integrum restituatur. Hoc

autem fieri non poterit nisi cum omnia quae vaticinata est, aliquando evenerint. Tale quid igitur Aeschylum scripsisse puto:

θανούσῃ μαρτυρεῖτέ μοι τόδε,
ἅπαντ' ἀληθῶς ὡς ἐγὼ τεθέσπικα,
ὅταν γυνὴ . . . . θάνῃ, cet.

Etiamsi quae verba fuerint poetae nullo modo inveniri queat, attamen sententiam illius versus, qui excidit, eandem fuisse atque ejus, quem substituere conatus sum, certum esse videtur. Ceterum commemorandum est, lacunae signum etiam Karstenum posuisse; qui tamen de hoc loco non recte judicavit. Speciosa est Engeri conjectura, qui jure offendens in hoc μαρτυρεῖτέ μοι τόδε, ὅταν, cet., locum sic edidit:

θανούσῃ μαρτυρεῖτέ μοι τόδε,
ἔστ' ἂν γυνὴ γ. ἀ. ἐ. θ.

conferens. Eumen. 316 (Herm.), v. doctam et acutum ejus annotationem. Sed talis sententia, qualem efficere studet Engerus hac mutatione, male cohaereret cum antecedenti versu οὔτοι δυσοίζω ἄλλως, neque verisimile est, in bona oratione pro his: μάρτυρές μοι ἔστε τοῦ θανάτου, dici posse: θανούσῃ μαρτυρεῖτέ μοι τόδε.

In vs. 1278 ἀνήρ τε δυσδάμαρτος ἀντ' ἀνδρὸς πέσῃ, ambigitur, utrum ἀνὴρ δυσδάμαρτος copulanda sint an δυςδάμαρτος ἀνδρός, nam per se forma δυσδάμαρτος et nominativus et genitivus esse potest. Praestare videtur, ἀνὴρ δ. conjungere; nam hic non de Agamemnonis malo conjugio sermo est, sed de Aegisthi poena atque exitio, quippe qui propter flagitiosum suum atque illicitum conjugium pereat; ad loci igitur sententiam multo aptius est de Aegistho hoc praedicare, quod malum infaustumque habeat matrimonium; de Agamemnone vero dictum tale epitheton hoc loco prorsus esset supervacaneum et languidum. Hermannus vocem δυσδάμαρτος genitivum esse statuit; „nam non solum illis, γυναικὸς ἀντ' ἐμοῦ, aptius opponitur δυσδάμαρτος ἀντ' ἀνδρός, sed etiam Aegisthus, quia moechus, non maritus Clytaemnestrae est, neque per mulieris istius malitiam, sed propter proprium flagitium perit, perperam ita appellaretur, quod contra in Agamemnonem optime quadrat hoc nomen, ut et maritum, et fraude morientem uxoris.“ — Primum illud argumentum ab externa versuum aequalitate petitum non ita

multum valere potest: quod vero ad secundum argumentum quo utitur Hermannus, sane Aegisthus non fuit legitimus Clytaemnestrae maritus, — sed ob id ipsum appellatur ὁ δυσδάμαρτος. Minime enim necesse est, haec vox semper significet talem, qui per mulieris malitiam pereat vel infelix est; quidni etiam eum significare potest, cui malum et flagitiosum sit matrimonium, ita ut in hac compositione vocis quasi oxymoron quoddam insit: Αἴγισθος δυσδάμαρτος? —

Extrema Cassandrae oratio sic incipit:

vs. 1281. ἅπαξ ἔτ' εἰπεῖν ῥῆσιν ἢ θρῆνον θέλω
ἐμὸν τὸν αὐτῆς. κ. τ. λ.

In hac perinepta scriptura, ῥῆσιν ἢ θρῆνον, priores non offenderunt. Hermannus olim conjecerat ῥύσιον θρῆνον (quod „vindicem questum" intelligi voluit), in editione scripsit: ῥῆσιν, οὐ θρῆνον, quod Schneidewinus recepit. Schoemannus, quem Engerus sequitur, voluit: ῥῆσιν, ὡς θρῆνον, quam conj. praeiverat Hartungius (v. Schoem. emendatt. p. 38). Sane ambae lectiones, et ῥῆσιν οὐ θρῆνον et ῥ. ὡς θρ., habent quo defendi possint; sed non possum non meum facere Wellaueri de hoc loco judicium, qui putat in his vocibus, ῥῆσιν ἢ, latere aliquod adjectivum, ad θρῆνον pertinens. Nam sive οὐ scribitur sive ὡς, illud ῥῆσιν valde molestum atque ingratum additamentum manet. Hermanni ῥύσιον θρῆνον profectum quidem est e justa offensione, quam vox ῥῆσιν viro egregio praebuerat, sed non apta est ista lectio, id quod ipse postea intellexit. Quid scripserit poeta, hoc loco nondum videtur cum ulla probabilitate inventum esse [1]).

Etiam sequentes versus inter difficillimos numerandi sunt ex omnibus quae supersunt Aeschyli tragoediis.

ἡλίῳ δ' ἐπεύχομαι
πρὸς ὕστατον φῶς τοῖς ἐμοῖς τιμαόροις
ἐχθροῖς φονεῦσι τοῖς ἐμοῖς τίνειν ὁμοῦ,
δούλης θανούσης εὐμαροῦς χειρώματος.

In hunc locum plurimam viri docti operam impenderunt. Audiamus primum Hermannum. „. . . . . non dubito,

1) Karstenus haec verba prorsus resecat locumque hunc in modum mutat: ἅπαξ ἔτ' εἴποιμ'. ἡλίου δ' ἐπεύχομαι etc.

„quin versus exciderit, in cujus fine erat ὁμοῦ, quod librarii, „omisso per errorem eo versu, transtulerunt in finem proximi „versus, ubi scriptum erat simile vocabulum ἐμοῦ. Neque vero „suos ultores recte diceret Cassandra: non enim ipsam, sed Aga„memnonem vindicaturi venient. Quare illud τοῖς ἐμοῖς τιμαόροις „ortum esse videtur ex eo quod mox in eodem versus loco se„quitur τοῖς ἐμοῖς, ab Aeschylo autem haec tali fere modo scripta „esse puto,

ἡλίῳ δ' ἐπεύχομαι
πρὸς ὕστατον φῶς, βασιλέως τιμαόρους
ἴσας δίκας φανέντας ἀσκεύοις ὁμοῦ
ἐχθροῖς φονεῦσι τοῖς ἐμοῖς τίνειν ἐμοῦ
δούλης θανούσης εὐμαροῦς χειρώματος.

„Etenim Hesychius hanc vocem ἀσκεύοις ex Agamemnone „attulit, cujus glossa apertum est quam accommodata sit huic loco, ἀσκεύοις, ψιλοῖς, ἀπαρασκεύοις. Αἰσχύλος Ἀγαμέμνονι." — Hactenus Hermannus. At hoc non videtur consentaneum esse, Cassandram precari ut Aegisthus et Clytaemnestra ὁμοῦ, una („eodem capti dolo", Herm.) occidantur; neque hoc, ut imparatos ultio improvisa opprimat; sed simpliciter ut occidantur ac pro ipsius nece poenas solvant. Quid enim Cassandrae interesse potest, utrum percussores sui una an separatim, parati an ἄσκευοι, interficiantur? dummodo interficiantur, — cur illud curet Cassandra, plane nullam habet rationem. Itaque hae voces, ἀσκεύοις atque ὁμοῦ, duas notiones prorsus alienas atque inconvenientes in hanc sententiam inferrent. Accedit, quod incertissimum est, cuinam Aeschyleae fabulae illud Hesychianum ἀσκεύοις assignandum sit. Nam in hac glossa γονίας, εὐχερής. Αἰσχύλος Ἀγαμέμνονι, Hesychius vocabulum quoddam e Choephoris sub Agamemnonis nomine citat; vocem enim quae est γονίας invenias in Choeph. vs. 1064 [1]). Praeterea Aug. Nauckius in observationibus criticis de tragicorum Graecorum fragmentis [2]) pag. 4, monet, librarios constanter hoc nomen, Μέμνων, (quae una deperditarum Aeschyli fabularum fuit), in Ἀγαμέμνων depravasse, quippe quibus Agamemno fabula nota

1) Cf. Hermann. ad Aristot. Poet. p. 110. Blomfield. praefat. in Agam. p. X.
2) in programmate gymnasii Joachimsthalensis, Berol. 1855.

fuerit, Memno vero ignota. Itaque dubium est, an in alia quadam Aeschyli fabula, sive in Choephoris sive in Memnone, illud ἀσκεύοις lectum sit; atque in Choephororum initio ea vox optime locum haberet. Quo magis imminuitur Hermannianae conjecturae probabilitas. His adde, quod ne haec quidem verba, ἐχθροῖς φονεῦσι τοῖς ἐμοῖς, recte se habere credi potest. Primum enim ἐχθροῖς, si epitheton esset ad φονεῦσι pertinens, quam maxime langueret, tum desideratur significatio poenae, quam ut percussores sui luant, Cassandra precetur. Qualis notio sententia necessario postuletur, viderunt ii, qui pro φονεῦσι scripserunt φόνοισι, sicut Engerus, qui praeterea cum Pearsono, Wellauero, al., rectissime posuit ἐχθροὺς τοὺς ἐμούς. Apparet enim, dativum ἐχθροῖς τοῖς ἐμοῖς, siquidem illud φόνοισι recte se habet, quod vix dubitandum est, — ineptissimum esse; structura enim accusativum postulat. Fuerunt, qui ut dativum retinere possent, in praecedenti versu scriberent: τοὺς ἐμοὺς τιμαόρους. Sic Karstenus edidit:

. . . ἐπεύχομαι
. . . τοὺς ἐμοὺς τιμαόρους.
ἐχθροῖς φόνευσιν τοῖς ἐμοῖς τίνειν ἐμοῦ.

in quibus, ut videtur, φόνευσιν accusativum esse vult vocis φόνευσις; hanc lect. ita vertit: „Oro, ut ultores mei rependant inimicis meis meam necem.“ Sed verbum τίνειν forma activa semper de eo, qui poenas luit, non de eo, qui poenas ab altero exigit, usurpatur. — Praeterea infra demonstrabimus, dativum τοῖς ἐμοῖς τιμαόροις non esse mutandum, sed hunc versum 1285 ab antecedenti, in quo illud τοῖς ἐμοῖς τιμαόροις est, prorsus esse avellendum. Iam apparet, necessariam esse hanc emendationem ἐχθροὺς φόνοισι τοὺς ἐμοὺς τίνειν. Hoc si statuimus Aeschylum scripsisse, origo depravationis facillime potest intelligi. Nam semel corrupto φόνοισι in φονεῦσι, facile aliquis pellici potuit, ut accusativum ἐχθροὺς τοὺς ἐμούς, quem putaverit cum φονεῦσι copulandum esse, in dativum mutaret. Rectissime igitur Engerus ita edidit, haec adnotans: „φόνοισι enthält den Hauptbegriff; nicht einfach um Rache fleht Kassandra, sondern um Vergeltung durch Mord für Mord, daher mit Bezug auf φόνοισι die Apposition zu ἐμοῦ δούλης θανούσης, cf. vs 1397 (Herm. 1392) τύμμα τύμματι τῖσαι.“

Itaque haud procul mihi videtur a vero afuisse Engerus. Sed restat vox ἐμοῦ, quae necessaria quidem videtur esse, cum genitivus δούλης sequatur, attamen cum modo praecesserit ἐμούς, valde ingrata est. Ego vero hic arbitror me rectum vidisse; sententia enim perinde atque Aeschyli loquendi mos hanc emendationem commendant, quam ut paene certam proponere audeo.

ἐχθροὺς φόνοισι τοὺς ἐμοὺς τίνειν φόνους.

Ex ἐμούς facile subauditur genitivus μοῦ, ad sequentis versus substantivum. Ipse ille versus 1392 τύμμα τύμματι τῖσαι hanc emendationem suppeditavit; plane eodem modo loquitur noster etiam in Choeph. vs. 309

ἀντὶ δὲ πληγῆς φονίας φονίαν
πληγὴν τινέτω.

Apparet, nullam vocem aptiorem hic esse quam illud φόνοις, praesertim cum tales compositiones, qualis haec est, φόνοισι τίνειν φόνον, nostrum amare nota sit res. Neque externa probabilitate mea conjectura caret.

Huc igitur pervenimus, ut vs. 1285 hunc in modum constituendum esse nobis persuaserimus:

ἐχθροὺς φόνοισι τοὺς ἐμοὺς τίνειν φόνους δούλης κ. τ. λ.

Sed cetera quomodo se habeant, nondum examinavimus. Num Aeschylum sic scripsisse credamus:

ἡλίῳ δ᾽ ἐπεύχομαι
πρὸς ὕστατον φῶς, τοῖς ἐμοῖς τιμαόροις
ἐχθροὺς φόνοισι τοὺς ἐμοὺς τίνειν φόνους
δούλης θανούσης, εὐμαροῦς χειρώματος —?

Structura quidem in his recta est, at restant duae offensiones, eaeque haud exiguae. 1) Cur Cassandra ad Solem tantum precatur? Cur ad nullum aliorum deorum? nonne exspectandum esset, ut eos omnino deos invocaret, quorum id est munus, ut scelera hominum ulciscantur? Hoc, credo, Schoemannum movit, ut dativum ἡλίῳ mutaret in genitivum ἡλίου; ἡλίου πρὸς ὕστατον φῶς i. e. πρὸς ὕστατον φῶς ἡλίου; verbum ἐπεύχομαι tunc absolute positum esset, sicut vs. 1251. Recepit hanc conj. Karstenus. — Sed accedit alia offensio. Rectissime enim Hermannus judicavit, Cassandram nequire Orestem ejusque socios his verbis significare: τοῖς ἐμοῖς τιμαόροις. Minime vero censeo, haec verba cum

Hermanno ita mutanda esse, ut Agamemnonis mentio fiat, cf. quae Schoemannus optime exposuit p. 7. Sed versum excidisse mihi quoque persuasum est, qui in hoc tantum a viro egregio dissentio, qualis ejus versus, qui perierit, fuerit sententia. Credo enim, in illo versu d e o s nominatos fuisse, praecipue eos, quorum hoc loco aptissima esset invocatio. Hos Cassandra summo jure ipsius τιμαόρους vocaret. Itaque cum Pauwio (et Abreschio) post τοῖς insero literulam τ', et lacunam hunc fere in modum explendam esse arbitror:

ἡλίῳ δ' ἐπεύχομαι
πρὸς ὕστατον φῶς, τοῖς τ' ἐμοῖς τιμαόροις
(προσλιπαρῶ θεοῖσι ποινίμοις.....?),
ἐχθροὺς φόνοισι τοὺς ἐμοὺς τίνειν φόνους
δούλης θανούσης, εὐμαροῦς χειρώματος.

Unde excidere potuerit talis versus, qualem substituere conatus sum, in propatulo est, nam praecedens versus iisdem incipit litteris, προς. — Alios conatus v. apud interpretes; novissimorum nonnullos affert Schneidewinus in Jahn. ann. l. c. p. 289; ipse quid senserit Schneidewinus, non liquet. Schoemannus sic scripsit:

ἡλίου δ' ἀντεύχομαι
πρὸς ὕστατον φῶς, τοὺς ἐμοὺς τιμαόρους,
δούλης θανούσης, εὐμαροῦς χειρώματος
ἐχθροῖς φονεῦσι τοῖς ἐμοῖς τίνειν ὁμά.[1])

Contra quae jam hoc unum argumentum haud levis momenti esse videtur, quod hic versus, δούλης θ. εὐμ. χειρ., necessario extremus esse debet in hac versuum serie; nam quae deinde sequuntur, ἰὼ βρότεια πράγματα cett. huic versui arctissime se annectunt. Sequuntur autem hi versus:

vs. 1287 seqq. ἰὼ βρότεια πράγματ'. εὐτυχοῦντα μὲν
σκιά τις ἂν τρέψειεν, εἰ δὲ δυστυχῇ,
βολαῖς ὑγρώσσων σπόγγος ὤλεσεν γραφήν.
καὶ ταῦτ' ἐκείνων μᾶλλον οἰκτείρω πολύ.

Etiam hi versus, totius scenae ultimi, diverso modo explicati sunt ab interpretibus, qui partim ad alienissima confugerunt, cum jam Blomfieldius locum satis recte intellexerit, non tamen

1) ὁμά jam Stanlejus voluit.

accurate sententiam explanans. ἂν τρέψειεν rectissime Porsonus scripsit pro ἀντρέψειεν, nam particula ἂν non potest deesse. praeterea autem nihil mutandum. Pro δυστυχῆ neque δυστυχῇ neque δυστυχοῖ necessarium est. Hermannus Boissonadum sequens edidit: σκιά τις ἂν πρέψειεν, (Photius: πρέψαι, τὸ ὁμοιῶσαι, Αἰσχύλος. Hesychius: πρέψας, εἰκασμένος, εἰκασθείς). Receperunt eam lectionem etiam Engerus, Welckerus (v. in mus. Rhen. X. p. 418). Recte de hoc πρέψειεν judicavit Schneidewinus, monens, necesse esse is qui πρέψειεν scribat etiam dativum σκιᾷ ponat cum Wieselero et Coningtonio; — sed praeterea totam sententiam loco non convenire. Nam hominis ejusque vitae cum umbra comparationem adeo usitatam et quotidianam esse ut pro hujus loci gravitate nimis levis esset.[1]) Huic argumento aliud idque etiam gravius addo; aperte enim huic verbo, de quo agimus, respondet in altero sententiae membro verbum ὤλεσεν, quo certissime confirmatur, genuinam lectionem esse τρέψειεν; hae enim notiones, τρέπειν atque ὀλλύναι, ejusdem generis sunt, habentque quandam inter se affinitatem; contra πρέπειν (quod significare volunt: comparare, vel: simile esse) atque ὀλλύναι, diversissimi generis sunt. Male igitur locutus esset Aeschylus, si, cum de felicitate dixisset, cuinam rei similis esset, non item de infelicitate diceret, quacum re comparari posset, sed quanam re dirueretur. Itaque sine ullo dubio τρέψειεν recte se habet, qua scriptura mutata in πρέψειεν, tota illa responsio amborum sententiae membrorum (εὐτυχοῦντα μὲν — εἰ δὲ δυστυχῇ, σκιά — βολαῖς ὑγρώσσων σπόγγος, ἂν τρέψειεν — ὤλεσεν) tolleretur. — Alterum, in quo Hermannus cum plerisque aliis interpretibus erravit, id est, quod haec pronomina, ταῦτα atque ἐκείνων, in ultimo versu false intellexit. Haec enim dicit: „. . . . Verum hic „quidem Butlerus vidit, ταῦτα ad utrumque illud, quod et feli„citas hominum vanum simulacrum est, et infortunii subito ex„stinguitur memoria, ἐκείνων autem ad ipsius Cassandrae sor-

1) In contextu quidem editionis Schneidewinianae, ut saepius, Hermanni lectionem reperimus, sed ex annotatione apparet, Schneidewinum scripturam πρέψειεν rejecisse, ac τρ. retinendum esse judicavisse. Multis hujus editionis locis textus annotationum auxilio in eam formam redigendus est, quam auctor editionis ei vita suppeditante certe ipse dedisset.

„tem pertinere." — Idem censuerunt Engerus, Karstenus, Schneidewinus. Sed unusquisque, qui simpliciter verba poetae legat neque artificia adhibere velit ad ea interpretanda, cum Schützio, Blomfieldio aliisque pronomen ἐκείνων ad haec: εὐτυχοῦντα μὲν σ. τ. ἀ· τρ·, ταῦτα vera ad haec: εἰ δὲ δυστ., βολ· cet. referet, dummodo sententiam recte intellexerit totius loci. Si ipsius Cassandrae sortem in mente habuisset Aeschylus, cur tam obscure eum locuturum fuisse statuamus? — Sed cum antecedentes versus accuratius explanaverimus, per se apparebit, quonam illa pronomina spectent. Blomfieldius recte, quid voluisset poeta, intellexit. „Equidem, dicit, locum sic interpre-„tari malim: res prosperas vel umbra everterit, ut mutationes „facile admittant; in adversis vero rebus, sicut spongia tabulae „lineas penitus delere solet, ita omnis spes meliorum prorsus „aboletur, h. e. res prosperae in adversas longe facilius mutan-„tur, quam in prosperas adversae; atque hanc rerum adversa-„rum statum magis deploro, quam instabilem prosperitatis „conditionem." — In quibus hoc non recte fecit, quod τρέπειν interpretatus est: evertere; vis enim hujus vocabuli haec est: in contrarium vertere s. mutare, ut nostrum verbum: „wenden" de mutatione fortunae adhibetur. Apparet, versus ultimi sententiam optimam evadere, si illa pronomina, ταῦτα et ἐκείνων, ita intelligantur. Non adeo deplorandae essent calamitates, quae hominibus tam facile ac tam saepe accidunt, — si, ut res prosperae facile in adversas mutantur, ita etiam contrarium fieri soleret, hominesque infelices facile felices beatique fierent. Tunc enim adversi quidam casus aequo animo essent ferendi, semper praesente spe, fore ut mox subitoque improvisa quaedam appareat felicitas. Hoc vero nequaquam ita se habet, sed ex adversa sorte plerumque nulla est alia hominibus mutatio ac transitus in alium quendam statum, quam interitus ac mors; ταῦτα, dicit Cassandra, ἐκείνων μᾶλλον οἰκτείρω πολύ. Quam pulchra vero comparatio humanae conditionis cum pictura, quam egregius omnino hic locus sit, non eget explicationis. — Res comparata atque imago, ut saepissime fit, in unam coaluerunt sententiam. Soluta oratione poetae sententia sic fere reddi potest. Pulchra quaedam effigies parvo errore pictoris, sicut umbra false posita, vitiari ac deformari potest; non vero perinde

facile est, malam ac vitiosam effigiem pulchram ac bonam reddere; sed necesse est talem picturam spongia madida injecta prorsus deleri. Similiter humana fortuna se habet; si prospera est, saepe improviso casu in contrarium mutatur; at rarissime fit, ut aliquis e miseria ad beatitudinem perveniat. — Ex his apparere arbitror, hos versus minime, ut plerique putant, generaliter questum de humanae fortunae fragilitate continere. Ceterum monendum est, Cassandram hanc sententiam eloquentem suam ipsius fortunam ante omnia respicere. — De aliorum explicationibus nihil amplius dicamus, ne longiores simus. Inter eos, qui aliorum errores suos fecerunt, etiam Seidenstückerus est, qui in programmate gymnas. Susatensis a. 1828, pag. 12 seq. hunc locum tractavit. Karstenus vero, qui scripsit: κρύψειν, pro τρέψειν, sane non errorem librariorum emendavit, sed Aeschyli ipsius verba corrupit.

Hac vero occasione data addere liceat, saepius factum esse, ut ea, quae Blomfieldius, vir insigniter de nostro poeta meritus, rectissime animadvertit, ab aliis interpretibus negligerentur, sicut emendatio versus 1188 a Blomfieldio facta, φαιδρωπός pro φαιδρόνους, quae emend. mihi quidem uno illi loco apta esse videtur. —

Sed scribendi finis faciendus est: jam enim ad exitum ejus scenae, quam tractare nobis proposuimus, perventum est. In hoc vero libello meo si forte nonnulla bonae frugis insunt, quae a viris doctis non improbanda sint, atque si poetae dilectissimo paullulum profuisse judicabor, summo opere gaudebo, neque parvum hoc erit studiis meis incitamentum.

Vita.

Natus sum ego Carolus Adolphus Feodorus Rhode Postampii die XI. mens. Maji a. CIↃIↃCCCXXXVI. patre Carolo Adolpho Rhode mercatore, matre Theresia e gente Jacobi, sex fratrum natu minimus. Fidei evangelicae addictus sum. Postquam primis litterarum rudimentis Berolini in schola Diesterwegiana imbutus sum, inde ab anno aetatis meae decimo ibidem per quinquennium ac semestre spatium gymnasium Friderico-Guilelmum, quod viro Illustrissimo Ferd. Rankio rectore floret, frequentavi, ac praeceptoribus usus sum viris doctissimis Gerber, Rückert, Böhm, Drogan, (quem ante paucas hebdomades casu tristissimo vitam amisisse cum magno animi dolore audivi), Bresemer, Yxem, Walter, Heydemann, Foss, Luchterhand, Schellbach, Uhlemann. Cum m. Augusto a. CIↃIↃCCCL,, me puero quatuordecim annos nato, mater conjuge, nos patre carissimo et simul cum eo columine nostro ac tutore orbati essemus, mater mecum Dresdam se contulit, ubi fratrum meorum natu maximus tunc praeceptor erat in gymnasio celeberrimo Blochmanniano, quod Bezzenbergero, viro Clarissimo doctissimo, floret rectore. Cujus gymnasii primam classem dum inde a mense Aprili a. CIↃIↃCCCLII. per sesquiannum frequentabam, ac disciplina praecipue Bezzenbergeri, viri insigniter de me meriti, Alfredi Fleckeiseni (qui nunc Professor Francofurtensis est), Alberti Rhodii fratris et consanguinitatis vinculo et studiorum aequalitate conjunctissimi, Guil. Herbstii utebar, factum est, ut paullatim prae omnibus veteres scriptores mirifice adamarem. Ac praecipue cum per fratrem primam tragicorum Graecorum notitiam facerem, per Bezzenbergerum Taciti et Demosthenis, per Fleckeisenum poetarum Latinorum studiis initiarer, adeo augebatur in dies

paene delectatio mea, ut magis magisque totum me his studiis dedere decernerem. Postquam igitur a. CIↃIↃCCCLIII. m. Augusto maturitatis testimonio instructus hanc scholam reliqui, rursus me Berolinum contuli, nbi Ill. Stahlio Rectore magnifico, Ill. Enckio amplissimi philosophorum ordinis Decano, civibus almae Academiae Fridericae-Guilelmae adscriptus sum. Inde per tres annos praecipue frequentavi scholas virorum Ill., venerabilis Augusti Boeckhii, summi philologi, ac Mauritii Hauptii; quorum praeclarorum virorum disciplinae, quae fortasse in his litteris adhuc profeci, debeo omnia. Praeterea audivi scholas philosophicas Ill. Adolphi Trendelenburgii, philologicas Ill. Ernesti Curtii, qui nunc Gottingensis est Professor, atque Clarissimi Henrici Keilii; neque theologicas Ill. Twestenii praestermisi. Per tria semestria etiam seminarii philologici sub Boeckhio atque Hauptio sodalis ordinarius fui. — Trendelenburgius autem, vir non modo doctrinae, sed etiam generositatis atque humanitatis insigni laude clarus, atque Ernestus Curtius, eximia et ingenii suavitate et morum mansuetudine praeditus, quantopere hi viri egregii sese benevolos ac propitios erga me praestiterint, ingratissimus sane homo essem, si umquam oblivis cerer. Praeter hos autem viros praecipue magnae mihi agendae sunt gratiae viro Ill. Fr. Haase, Professori Vratislaviensi Clarissimo; qui, cum nuper peregrinus atque ignotus ad eum accederem, non modo summa comitate ac benignitate me excepit, sed etiam consiliis liberaliter datis adjuvit, multifariamque mihi profuit. Neque umquam mihi e memoria evanescet comitas viri Ill. Loewig, qui nunc in hac alma universitate Viadrina amplissimi philosophorum ordinis est Decanus. Omnibus autem, qui umquam vel disciplina vel consilio vel quocunque modo mihi profuerunt vel studiis meis faverunt, ex intimo animo gratias ago maximas. — Triennio academico praeterlapso a. CIↃIↃCCCLVI. m. Augusto in vicum Silesiae me contuli, cui Langenbielau nomen est, ubi etiam nunc commoror in domo viri Excellentissimi, Comitis a Sandreczky-Sandraschütz, ducatus Silesiae mareschalli hereditarii, qui unicum mihi filium litteris instruendum tradidit; quo munere nunc jam per sesquiannum fungor. —

Theses.

1) Falluntur, quibus Prometheus apud Aeschylum culpa vacare, Jupiter vero injustus et crudelis tyrannus esse videtur.

2) Aesch. Eumen. vs. 235 sqq. scribendum est:

δέχου δὲ πρευμενῶς ἀλάστορα,
οὐ προστρόπαιον, οὐδ' ἀφοίβαντον χέρα.
ἀλλ' ἀμβλὺς ἤδη προστετριμμένος τε πρὸς
ἄλλοισιν οἴκοις καὶ πορεύμασιν βροτῶν,
ὅμοια χέρσον καὶ θάλασσαν ἐκπερῶν,
σώζων τ'ἐφετμὰς Λοξίου χρηστηρίους,
πάρειμι κ. τ. λ.

3) Aesch Suppl. vs. 644 seqq legendum est:

τὼς πόλις εὖ νέμοιτο
Ζῆνα μέγαν σεβόντων,
τὸν ξένιον θ'ὑπέρτατον θ'
ὃς πολιῷ νόμῳ αἶσαν ὀρθοῖ.

4) Aesch. Agam. vs. 69 cum Casaubono legendum est:

οὔθ' ὑποκαίων οὔθ' ὑπολείβων
οὔτε δακρύων ἀπύρων ἱερῶν
ὀργὰς ἀτενεῖς παραθέλξει.

5) Aesch. Agam. vs. 199 seqq. verba πῶς λιπόναυς γένωμαι, ξυμμαχίας ἁμαρτών interpretanda sunt: „quomodo classem deseram fidemque erga socios violem?“ ac sequentia verba sic legenda:

παυσανέμου γὰρ θυσίας παρθενίου θ'αἵματος ὀργᾷ περιοργῶς ἐπιθυμεῖν θέμις; — οὐκ ἂν εἴη.

6) Horat. carm. I., 7, 27 jure Meinekius recepit Bentleianam emendationem:

nil desperandum Teucro duce et auspice Phoebo.

7) Dialogi Platonici, qui inscriptus est Protagoras, primarium consilium id videtur esse, ut doceatur, virtutem esse scientiam.

8) Dialogi de oratoribus scripti auctorem non esse Tacitum, probabilibus argumentis effici nequit.

9) In Tacit. Germ. cap. 3. post haec verba: „ab illo constitutum nominatumque" lacunam esse recte Pontanus indicavit.

10) Carmina Theotisca medii aevi, quae sub Henrici VI. Staufensis imperatoris nomine feruntur, ab hoc principe non esse composita, validissimis argumentis nuper demonstravit M. Hauptius.

Addenda.

ad pag. 44, l. 18. Poetam plurali numero dixisse φόνους, quamvis de unius tantum hominis caede sermo sit, nemo mirabitur, cum vox quae est φόνοισι praecesserit, quacum non φόνον, sed φόνους copulari rhetorica symmetria postulabat.